# De Hilario Pictaviensi artis rhetoricae ipsiusque ut fertur institutionis oratoriae Quintilianeae studioso.

---

## Dissertatio philologica

quam ad summos in philosophia honores auctoritate amplissimi philosophorum ordinis in universitate Ruperto-Carola Heidelbergensi rite capessendos scripsit

**Hermannus Kling.**





**Freiburg i. B.**
Buchdruckerei des Preßvereins.
**1909.**

# FRIDERICO SCHOELL

Huic quaestioni, quam philosophorum ordo Heidelbergensis proposuit, a me tractatae praemium tributum est a magno duce Carolo Friderico positum, quapropter dissertationis formam non mutavi. — Hilari de trinitate opus nisi numeris librorum capitumque non designatum; littera p capitis principium, e exitum, m medium caput indicavi.

Institutionis Quintiliani oratoriae, qua nihil ab omnium temporum rhetoribus perfectius esse conscriptum omnes consentiunt, cur proximis post auctorem saeculis tantopere sit minuta auctoritas, ut ii, qui de operis apud posteros efficientia egerunt [1], adhuc statuere, omnibus puto institutionis Quintilianeae aliquantum peritis in dubio latuisse, cum eloquentiae magister non modo quae viri docti pluribus saeculis eruerant, sed etiam quae ipse in oratoria arte docenda veterator compererat omni cogitatione pertractata composuerit. Frontonianos autem aliam viam ingressos Quintilianum, Ciceronis asseclam, neglexisse, quod afferunt argumentum, non valet ad dubitationem nobis eximendam. nam cum his temporibus — ex arte musica liceat afferre exemplum, quoniam et eloquentia apud veteres ars est habita — inter eos qui modos fecerunt aut faciunt floreant principes Riccardi Wagnerus et Straussius, quorum opera certe non minus differant a Glucki, Haydni, Mozarti, Beethoveni, quam ars Frontonis oratoria a Ciceronis eiusque amantissimi Fabi, quis quemquam existimaverit artis musicae peritum, quin illorum quoque modos pernoverit? quantumcunque porro huius aetatis artificum picturae et Raffaelis Michelangelique distant inter sese, tamen quis non nullius nominis pictor est, quin illorum opera praestantissima diligenter considerando multum didicerit? adice quod usque ad hunc diem laetamur Lutheri forti sermone, Lessingique genere subtiliter acriterque dicendi.

---

[1] Fierville, Quintiliani de institutione oratoria, lib. I. Par. 1890 p. XIV. Schanz, hist. litt. Rom. II, 2 [2], p. 362.

at si audiremus Lessingium vel ipsum adeo Lutherum verba facientes, summopere miraremur. quae cum ita sint, num credere possumus quaeso Quintilianum scriptorem excellentissimum sequentibus saeculis tam parum fuisse notum? ego quidem non putaverim. nam hic mihi quarendum videtur, num quod eius nomen tam raro invenimus excitatum, Fabi institutionem iacuisse in oblivione liceat colligere. ut enim philologis ante omnia spectanda sunt documenta et somnia sibi fingere suo iure datur vitio, ita non minus vitiosum est ex silentio quicquam efficere. cui non notus est mos ille veterum multo parcius quam apud nos fit excitandi? Quintiliani autem institutionem non nominari eo minus mirandum est, quod est composita, ut cum discipuli tum magistri eloquentiae consiliis subleventur; quid vero a nobis magis alienum est quam citare tale opus? monere satis est de libris grammaticis in usum scholarum conscriptis. itaque cum ea ratione nihil colligi possit, nostrum est alia quaerere argumenta, quibus efficiatur, qua fuerit auctoritate Fabius apud posteros. nihil autem relinquitur, nisi illius aetatis scriptorum excutere sermonem et quaerere, nonne hic et illic eluceant verba Quintilianea.

Ordo igitur noster philosophorum illustris, cum eiusmodi vestigia apud Hilarium, scriptorem quarti saeculi ecclesiasticum, indaganda proposuerit, optime sine dubio de antiquarum litterarum studiis meritus est eoque magis, quod idem voluit demonstrart, quod studium in universum collocaverit hic auctor in arte rhetorica; ut enim nisi illius aetatis ratione dicendi in scriptore vivente adumbrata, in quantum a praeclarissimo illo priorum temporum dicendi magistro pendeat, non recte cognoscimus, ita materia praebetur haud spernenda non minus litteras Romanas describenti in depingendo Hilario, quam ei, qui — haud multum temporis est, cum hoc didicimus — artem rhetoricam scrutatur et nascentem et crescentem et decrescentem et denique evanescentem, in arte oratoria quarti p. Chr. saeculi illustranda. qua de re priusquam agimus, tractanda videtur quaestio quasi principalis:

I.

# De Hilario Quintiliani institutionis oratoriae studioso.

*Videtur,* ait Erasmus[1], *tota vi adnisus* (scl. Hilarius), *ut in hoc opere* (scl. de trin.) *declararet atque exereret, quidquid ingenio, quidquid eloquentia, quidquid sacrarum cognitione litterarum posset.* quamvis autem perspicax ille philologus senserit id omnium praestantissimum opus esse Hilari non minime elegantia explicationis, unam causam, cur ecclesiasticus eam assequatur, cognoscere neque ei neque recentioribus contigit. attamen Hieronymus, gravissimus auctor, cum Pictaviensem duodecim Quintiliani libros et stilo imitatum esse et numero contendat, causam quaerentibus nobis viam monstrat, quam viri docti adhuc aut non ingressi sunt aut medio itinere restiterunt.

1.

Erasmus[1], quantum scio, primus de hac re disseruit. qui utrumque scriptorem a legere incipiente difficile intellegi Hieronymum dicere voluisse arbitrabatur, quoniam suus cuique stilus sit. id autem potissimum evenire in his auctoribus, in quibus praeter id, quod quisque suum habeat gustum peculiarem, accederet cura et subtilitatis affectatio. difficillimum enim esse ei, qui vel artis praecepta traderet — id spestat ad Quintilianum — vel de rebus natura subtilibus argumentaretur — scl. Hilarius —, curam expoliendi sermonis cum perspicuitate coniungere. itaque ut forte non ineptum esse aemulari stilum Quintiliani, ita superstitiosae cuiusdam diligentiae merito videri, praesertim in argumento dissimili, numerum librorum parem affectasse. Reinkensius[2] item censet Hilarium, quod dicendi genus attineat, in universum esse secutum Quintiliani exemplum. ipsum quoque se invenisse putat, cuius modi

---

[1] in epistula dedicatoria editionis Hilari operum 1523 Basileae typis expressae.

[2] Hilarius von Poitiers, Schaffhausen 1864 p. 8 et 150.

fuerit imitatio. Cassiodorium (de inst. div. litt. 17 sq.) lucem afferre opinatur dicentem Hilarium nimia profunditate subtilem et cautissimum disputatorem incedere. videmus ergo, quod et ipse dicit, eum Hieronymi locum illum eodem modo interpretari, quo Erasmus. neque magis Ebertius[1], Teuffelius-Schwabius[2], Fiervillius[3], Nordenus[4] in hanc rem inquisiverunt, quin etiam Schanzius[5] maiores utriusque scriptoris similitudines investigare difficile esse putat. videmus ergo, quam parum hac in re. quam non minimi esse momenti intelleximus, adhuc sit factum; temptabimus igitur hoc debitum litterarum antiquarum studiis tandem persolvere.

Ante omnia meum esse puto Hieronymi testimonium, quod usque ab Erasmo magis minusve ad viros doctos frigere vidimus, diligentius examinare. id autem optime instituemus, cum, quo in contextu locus ille exstet, considerabimus. verba allata legimus in epistula LXX (M. 22, 665). qua re commotus auctor eam scripserit, ostendit in cap. II: *quod autem quaeris in calce epistulae tuae, cur in opusculis nostris saecularium litterarum interdum ponamus exempla et candorem ecclesiae ethnicorum sordibus polluamus,*

---

[1] Allgemeine Geschichte d. Lit. d. Mittelalters im Abendlande, I, 1889[2] p. 138: *es läßt sich einmal nicht leugnen, daß er in betreff des Wortschatzes von der klassischen und auch der guten silbernen Latinität oft weit sich entfernt, und doch soll er nach Hieronymus Quintilians Institutionen nachgeahmt haben.*

[2] hist. litt. Rom. 1890[5]. p. 1053.

[3] l. c. p. XIV: *Il faut arriver à Saint Hilaire de Poitiers et à Saint Jérôme, pour retrouver la trace précise de l'Institution oratoire.* vestigia igitur Quintiliani apud Hilarium inveniri eum contendere apparet. quantopere autem mirandum, quod ne verba Hieronymi quidem, ex quibus id post alios efficit, inspexisse videtur, quod falso ea excitat.

[4] Antike Kunstprosa, Lips. 1898 p. 585; etsi suo iure nuper (Kult. d. Gegenw.) hanc quaestionem non attigit, tamen scriptorem nostrum in transcursu tantum memorari miror.

[5] l. c. 4 p. 272: *Hieronymus will beobachtet haben, daß sich H. den Q. zum Muster erkoren habe; allein es dürfte schwer sein, zwischen den beiden Schriftstellern engere Beziehungen herauszufinden.*

*breviter responsum habeto.* deinde demonstrat se non solum esse, sed viros verae doctrinae peritissimos inde a Moyse haud pauca de gentilium libris desumpsisse. in cap. V a Graecis ad Latinos transgressus de Hilario dicit: *Hilarius meorum confessor temporum et episcopus XII Quintiliani libros et stilo imitatus est et numero.* quae cum ita sint, neminem dubitare putaverim, quin Hilarium Quintiliani et stilum et institutionis ordinem re vera imitatum esse in animo habuerit dicere Hieronymus, quippe qui ipse saepenumero ex veteribus exscripserit et libere confiteatur se in operibus e Graeco in Latinum sermonem vertendis Ciceronem ad imitandum sibi proposuisse [1].

Nunc autem nobis quaerendum est, num Hieronymus habere potuerit iudicium, quod respici mereatur, num et Quintilianum et Hilarium adeo noverit, ut tanta constantia ei licuerit diiudicare, utrum Hilarius institutionis Quintilianeae studiosus fuerit necne. quod quin affirmemus, facere nos non posse mihi persuasi. excellentissimi illius scriptoris studium scribendi, amplissimam litterarum scientiam, ingenium, acumen depingere procul a me aberit. perpauca sufficiunt ad eum demonstrandum operum Fabi Hilarique gnarissimum. in memoriam tantum reducendum est lectoribus eum Romae apud optimos magistros artes grammaticam et rhetoricam didicisse ipsumque iam senescentem in coenobio Bethlehemitico docuisse et veterum opera explicasse. eum enim, cum Romae disceret, cum Bethlehemi doceret, institutionem praeclarissimi Romanorum rhetoris non tractasse, quis est qui opinetur?

Quod sola coniectura iam verisimile est, verum fit firmissimis argumentis, quae nobis praesto sunt; perspectum enim est Hieronymum non modo sententias, sed etiam verba rhetoris esse mutuatum [2]. graviora lectoribus debemus. consilia, quae Hieronymus in ep. 107, 4 (M. 22, 871) Laetae cuidam de institutione filiae dat, haurit ex inst.

---

[1] cf. Luebeck, Hieronymus quos noverit scriptores et ex quibus hauserit. Lips. 1872; epist. 57, 5 (M. 22, 570 sq.).

[2] cf. Luebeck l. c. p. 213 sqq.

or. I, 1, 4—6, 9, 12, 20, 23—27, 34. magnificam illam sententiam Quint. VIII pr. 31: *nec intelligunt iacere sensus in oratione, in qua verba laudantur* — habemus in ep. 58, 8 (M. 22, 584) apud ecclesiasticum aperte dicentem se ab alio verba recepisse. argumentum autem, quod nihil dubii relinquit, quin Hieronymus institutionem in schola adhibuerit, inde sumimus, quod figuras rhetoricas data occasione iisdem exemplis illustrat, quibus Quintilianus, ut pleonasmum (comm. in Dan. XI, 17 cf. Quint. VIII, 3, 53 sq.) et aposiopesin (comm. in Ierem. I, 4, 12 cf. Quint. IX, 2, 54). neque ab Hieronymo alienum est facete quid dictum ex Fabio exscribere, etsi non satis diligenter exhibens nomen dicentis cum alio confundit ep. 52, 7: *scitum illud est oratoris Domitii: cur ego te, inquit, habeam ut principem, cum tu me non habeas ut senatorem?* velim conferas Quint. VIII, 3, 89: *et acre, ut illud Crassi: ego te consulem putem, cum tu me non putes senatorem?* maximopere placuisse apparet scriptori nostro politum illud iudicium, quod Quintilianus X, 1, 22 de Livio eloquitur, cum paullo mutatum repetat: *ad T. Livium lacteo eloquentiae fonte manantem* (ep. 53, 1). quae argumenta sufficiunt ad probandum Hieronymum fuisse institutionis Fabianae satis peritum.

Neque minus Hilarium paucis decenniis ante florentem ei notum fuisse arbitraremur, etiamsi deesset testimonium. sed exstat gravissimum in ep. V, 2: *interpretationem quoque psalmorum Davidicorum et prolixum valde de synodis librum sancti Hilarii, quem ei* (scl. Rufino) *apud Treviros manu mea ipse descripseram, ut mihi transferas peto.* inde autem minime colligere licet eos tantum libros ipsum descripsisse, immo maximam bibliothecae haud exiguae partem suae manus industria congessit[1], ut facile intellegamus eum Hilari opera haud scio an ipsius manu descripta pernosse magis fortasse quam recentiores, qui ei fidem non

---

[1] cf. ep. 22, 30: *bibliotheca, quam mihi Romae summo studio ac labore confeceram, carere omnino non poteram.* cf. Birt, Das antike Buchwesen. Berol. 1882 p. 109 sq.

tribuerunt. Hieronymus ergo de vera imitatione cogitavit et scientia, qua ad iudicandum opus est, erat optime instructus.

Postquam igitur Hieronymi et iudicium et auctoritatem cognovimus, de viris doctis qui, an Hilarius Quintiliani vestigiis ingrederetur, dubitaverint aliquantum miremur. huc accedit, quod in operibus ante Pictaviensem ecclesiasticorum, quae adhuc exstant, persaepe et verba et sententiae et ordo ab ethnicis recepta inveniuntur, quod breviter attingere satis habeo. primum quidem prosae orationis scriptores non solum arte rhetorica imbuti erant, sed compluries ipsi, antequam christiani facti sunt, eloquentiae magistri fuerant, ut Minucius Felix[1], Arnobius[2], Lactantius[3], quos interdum optimos latinitatis scriptores sequi mirum nemini videtur. deinde christianorum poetae veterum videntur imitatores, ut Commodianus[4] et Iuvencus[5].

2.

Qui omnes, si imitati sunt veteres, cur non et Hilarius? vitam primum opusque, quod de trinitate inscribitur, in universum contuentes videamus, num verisimile sit eum pernovisse Quintilianum imitarique studuisse. ubi et a quibus Hilarius, cuius sermo artem ut videbimus redoleat rhetoricam cuiusque opera scriptoris scientiam philosophiae ostendant, eruditus et institutus est? nobili loco natum artibus litterisque, quantum licuit,

[1] Lact. inst. div. V, 1, 22: *ex iis, qui mihi noti sunt, Minucius Felix non ignobilis inter causidicos loci fuit.* Hier. de viris ill. 58: *M. F. Romae insignis causidicus;* cf. ep. 70, 5.

[2] Hier. chron. ad a. Abr. 2343 (Schoene p. 191).

[3] Lact. inst. div. I, 1, 8 sq: *professio . . . . illa oratoria in qua diu versati non ad virtutem, sed plane ad argutam malitiam iuvenes erudiebamus . . . . multum tamen nobis exercitatio illa fictarum litium contulit, ut nunc maiore copia et facultate dicendi causam veritatis peroremus.* cf. Hier. vir. ill. 80.

[4] cf. quod Schanzius contulit III, 2 p. 435.

[5] cf. Hatfield, a study of Iuvencus, diss. Bonn. 1890 p. 40 sqq.

esse instructum liquet. puerili doctrina eum institutum esse verisimile est Pictavae, in urbe patria, ubi scholae pueris discere incipientibus sufficiebant. cuiusmodi ibi magistri fuerint, ex Ausonio prof. Burdigalenses X, 42 sqq. colligere possumus, quibus versibus monumentum statuit pauperi Anastasio, quem *Burdigalae genitum transtulit ambitio* (nimirum ironice!) Pictavam, ubi *gloriolam exilem et patriae et cathedrae perdidit in senio.* Aquitaniae magistros maiore ingenio praeditos aut Pictavam non venisse aut in tam exiguo oppido non mansisse similia docent exempla. quos praeceptores in capita tetendisse apparet ut Burdigalam, in quo oppido omnis negotiatio eius terrae convenit et illa aetate litterae maxime floruerunt. vix igitur nos errare putaverim cum Reinkensio conicientes Hilarium adulescentem Burdigalam esse profectum [1], ut viris academiae illius doctissimis operam daret. quis autem non novit professores Burdigalenses descriptos per Ausonium, qui poeta ipse per triginta annos Burdigalae munere professoris functus ipsius etiam Hilari magister fuisse potest [2].

Existit autem hoc loco quaestio subdifficilis, num institutio Quintiliani oratoria in illius academiae discipulorum usu fuerit necne. aliqua verisimili saltem ratione pluribus Ausoni testimoniis nixi id demonstrare possumus. Fabius a poeta nostro princeps eloquentiae magister habetur, cum Tiberium Victorem Minervium, quem summa laude prae-

---

[1] via tritissima fuit cf. E. Desjardins, la table de Peutinger Par. 1874 segm. 1 et p. 38, 54 *de Lemuno à Burdigala par Mediolam Sancorum.*

[2] Ausonius munus professoris inter annos 334 et 338 adeptus est (cf. Schanz IV, 1 p. 22) et Hilarium Reinkensius (p. 3 sq.) coniecit altero quarti saeculi decennio esse natum. fac igitur Hilarium adulescentem ad litterarum studia Burdigalam se contulisse, iuvenem Ausonium habuisse magistrum potest. cum rhetores futuri saepe usque ad aetatis annum XXX studio artis se dederint (cf. Pichon, Etudes sur l'histoire de la littérature latine dans les Gaules, I. Les derniers écrivains profanes, Par. 1906 p. 32). id autem magis etiam verisimile fit, si cum Loofsio (Realencykl. f. prot. Theol. VIII, Lips. 1900 p. 58) colligimus eum 360 vix fuisse agentem annum 40.

dicare in animo habet, ita alloquatur: *alter rhetoricae Quintiliane togae* (prof. Burd. I, 2) et in Mosellae v. 404 memoraturus est quos *praetextati celebris facundia ludi contulit ad veteris praeconia Quintiliani.* hoc autem modo non canitur vir, cuius opera iam ex memoria evanuerunt vel cuius nomen in professorum tantum mentibus inhaeret. sed si eiusmodi libri in schola legebantur, opus erat prooemio magistri discipulos de scriptoris vita docentis. quid igitur mirum ex Ausoni operibus elucere accuratiorem Quintiliani vitae scientiam, ut prof. Burd. I, 7: *adserat usque licet Fabium Calagurris alumnum* et grat. act. 7: *Quintilianus consularia per Clementem ornamenta sortitus honestamenta nominis potius videtur quam insignia potestatis habuisse.* sed libere confitendum est, quamvis sit verisimile, pro certo ex Ausonio probari nequire ipsam institutionem oratoriam in schola Burdigalensi esse adhibitam, cum fortasse declamationes, quae Quintiliano adscribebantur, tantum ibi notae essent. nemo autem neget quicquam magis a poeta alienum esse quam opus, quo cotidie fere ad instituendos adulescentes utebatur, citare et recordantibus nobis Hieronymum etiam pluribus decenniis post discendo docendoque institutionis habuisse notitiam non parvam, sine ulla dubitatione licet colligere Hilarium quoque opus illud Quintiliani rhetoricum, siquidem Burdigalae studuit litteris, pernosse adulescentem.

Christianus autem et episcopus factus abiecitne cum contemptu ut philosophos ita Quintilianum quoque? minime habemus, cur id putemus. Fabi praeceptis eloquentiae, quae discipulus adamaverit, tum cum orator a sacris factus est, magis etiam operam dedisse suspicatus sim, praesertim cum verborum honori summopere studuerit. excellentius enim sermonis exemplum praestantiorave omnis generis consilia num usquam invenire potuit quam in Fabi institutione? tantum vero abest, ut, quae eloquentiae ille magister docuit, episcopo suspecta fuerint, ut haud paucae sententiae ei gratissimae esse debuerint, ut in unius dei fide acquiescenti: *et hercule deus ille princeps*

*parens rerum fabricatorque mundi nullo magis hominem separavit a ceteris . . . . animalibus quam dicendi facultate* (II, 16, 12), ut philosophiam spernenti I, pr. 15: *nostris . . . . temporibus sub hoc nomine maxima in plerisque vitia latuerunt. non enim virtute ac studiis ut haberentur philosophi laborabant, sed vultum et tristitiam et dissentientem a ceteris habitum pessimis moribus praetendebant*, ut tandem Fabi omne studium discipulos faciendi bonos viros. ethnicus enim hic scriptor, cum neminem nisi bonum virum oratorem fieri aut esse posse censeat[1], iam in eligendis auctoribus dignis, qui a pueris adulescentibusque legantur[2], hanc ostendit curam monetque oratori, quod decet utilitati esse anteferendum (XI, 1, 9). itaque cum magistros eloquentiae discipulorum mores corrigere[3], tum parentes, ne ipsi turpe exemplum prodant, hortatur verbis, quae episcopum non dedecerent (I, 2, 6 sqq). at omnino vir adeo omni invidia liber, ut de eiusdem artis peritis dicat: *sunt et hodie clari eiusdem operis auctores, qui si omnia complexi forent, consuluissent labori meo, sed parco nominibus viventium: veniet eorum laudi suum tempus; ad posteros enim virtus durabit, non perveniet invidia* (III, 1, 21), animos legentium et imprimis Hilari non capere non potuit. quae cum ita sint, cum 356 e patria eiceretur, similiter ac Hieronymum bibliothecam abstulisse et inter libros Quintiliani quoque institutionem num ineptum est putare?

In Asia autem inter Graecos versantem cum plurimae Graecorum sententiae essent Latino sermone explicandae, in opere, de quo agimus, conficiendo aliquantum eum sudasse sentimus. hic opem ferre potuit Quintilianus, cui eadem interdum infringenda erat difficultas. in refutandis autem adversariis Hilarius interdum habuit Fabium consortem, qui opus pus suum contra discrepantes sententias defenderit. primum enim ei demonstrandum erat artem suam esse utilem ideoque dignam, quae doceatur. rationem refellendi

[1] cf. I pr. 9; I, 3, 2; II, 15, 1; II, 15, 33; XII, 1, 1.
[2] I, 8, 7. cf. quoque I, 10, 31 ubi artem musicam discere suadet.
[3] II, 2, 1 et II, 2, 3 sq.

considerantes videmus eum II, 16, 2—4 causas adversariorum enumerare, quas sequentibus paragraphis summa eloquentia impugnat. Hilari autem genus pugnandi idem est, exempli gratia VI, 5 sq, ubi Arium, cum aures ei primum praebuerit, summa vehementia increpat. Quintiliano deinde genus, quod commendat, dicendi defendendum est per totum opus contra aliarum scholarum sectatores[1].

Difficillimum autem scriptori fuisse apparet materiae magnae et diffusae firmam quandam formam invenire. quae a Graecorum ecclesiasticis plane non recepta esse potest, cum usque ad hoc tempus viri docti ne in hac quidem quaestione consentiant, unde Hilarius praecipue sententias sumpserit[2].

Ante omnia nobis inquirendum est, qua de causa Hilarius XII libros composuerit neque aut maiorem aut minorem numerum, cum sententiarum partes sint multo minores. eum vero vel XII carminibus Aeneidos vel XII anni mensibus vel XII apostolis ad id genus distribuendi adductum esse, haud scio an nemo ne verisimile quidem reddat. cur igitur non fidem habeamus Hieronymo Quintiliani institutionem fuisse exemplum non sine quadam utriusque operis, ut vidimus, scientia contendenti? sed ipsi Fabio causa ita disponendi non erat — quinque enim operis partes sunt — nisi quod unum volumen modum quendam excedere non licuit[3]. eademne Hilarius quoque coactus est difficultate? minime putaverim, cum eius opus non bis tertiam partem institutionis versuum contineat.

Accuratius porro considerantes, quomodo utrumque opus compositum sit, cognoscimus et illum quaedam de ratione distribuendi praefari. pauca autem, quae Quintilianus I pr. 21—23 proponit, a natura et necessitate formae

---

1 cf. I, 5, 6; I, 10, 3 sq.; I, 10, 8; I, 10, 28 sq; VIII, 5, 32 sq; X, 2, 25; XII, 1, 14.

2 Loofs l. c. p. 61: *es würde nicht von geringem Interesse sein festzustellen, welche griechische Theologen bei Hilarius diesen Fortschritt der Erkenntnis herbeigeführt haben. Doch bin ich außerstande, auf diese Frage Antwort zu geben.*

3 cf. Birt, l. c. p. 139.

profecta optime quadrant, cum auctori opus sit Marcello, cui institutio dedicatur, paucis adumbrare, quae et quomodo tractaturus sit. Hilari contra verbosum argumentum I, 20—36 arte esse factum nemo non intellexerit[1].

Quodsi Erasmus Hilarium non parum temporis consumere monet in pollicendo, quid dicturus sit et in repetendo, quid dixerit, non est, cur putemus doctorem, quem dicunt, ecclesiae sola ordinis cura ad id esse adductum, sed eiusmodi apud Quintilianum quoque invenisse exempla eaque loquacitate quadam et nimia frequentia videtur aemulatus esse[2]. quis porro neget similitudinem utriusque rationis materiam distribuendi, cum et Quintilianus (IV pr. 6) et Hilarius (I, 20) a rebus facilioribus ad comprehensu difficiliores ascendere sibi proposuerit? consideremus tandem, quomodo uterque scriptor finem faciat operi. Quint. XII, 11, 30: *ipsam igitur orandi maiestatem, qua nihil di immortales melius homini dederunt et qua remota muta sunt omnia et luce praesenti ac memoria posteritatis carent, toto animo petamus nitamurque semper ad optima, quod facientes aut evademus in summum aut certe multos infra nos videbimus.* Hilarium autem cum videamus XII, 57 deum orare, ut suo exemplo legentes ad veram dei opinionem trahat, non abest suspicio imitationis.

Sermonem autem rhetoris et ecclesiastici in universum comparantes cognoscimus dicendi genera ita inter se differre,

---

[1] assentiri non possum Erasmo l. c. explicanti: *duobus nominibus refert Plinium, qui scripsit historiam mundi: primum praefatione tam elaborata, deinde quod primum librum totius operis elenchum esse voluit, qui illi, ut apparet, postremo loco scriptus est* (non recte! cf. Reinkens l. c. p. 130). primum an naturalis historia in Hilari manibus fuerit, valde dubito, deinde licet noverit Plinium, potius Fabi prooemium secutus esset, tum, quod elenchum attinet, dissimilitudo tanta est, ut Erasmum redarguere supersedeam.

[2] cf. V pr. 3 sqq. ubi promittit, quod disserturus est. in posterum aliquid differt: I, 5, 53; I, 5, 55; I, 8, 7; I, 8, 16; I, 12, 19; II, 10, 15; II, 14, 5; II, 15, 15; II, 15, 23; II, 21, 24; III, 8, 42; IV, 2, 33 p.; V pr. 3 sqq.; V, 7, 8; V, 12, 23; V, 14, 32; VI, 1, 13; VI, 4, 1; VI, 5, 11; VII, 2, 35; et saepe alias. quod dixit, repetit: III, 1, 1; V, 10, 94; VII pr. 1; VIII pr. 6—12.

ut 250 annis interpositis necesse est; apparatum quoque Quintiliani rhetoricum, quem in institutione adhibet, cum consideramus, parum tantum lucramur, etsi plurima Hilari ornamenta apud Calagurritanum invenimus. ut Hilarius ita et Quintilianus praebet linguam imaginibus abundantem, nubem apud eum videmus non tam translationum et allegoriarum, quam similitudinum et exemplorum. quamquam autem eiusmodi loci Quintilianei et Hilariani, ut

[1] de animalibus: Quint. I, 1, 1; I, 10, 7; II, 6, 7; II, 10, 6; II, 20, 9; V, 10, 21; VIII, 3, 10; IX, 4, 5; IX, 4, 113; X, 3, 4; XII, 2, 14; XII, 10, 76; de generibus nutriendi: I, 12, 5; II, 4, 5; II, 4, 29; II, 16, 6; IX, 3, 27; X, 1, 19; X, 1, 58; XI, 1, 91; XI, 2, 41; de vestitu: VIII, 3, 87; VIII, 5, 28; XI, 1, 3; XI, 1, 31; XII, 10, 75 sq.; de palaestra: II, 8, 3 sqq.; II, 12, 2; V, 13, 54; VIII, 3, 10; IX, 4, 56; X, 1, 4; X, 1, 33; X, 3, 6; X, 5, 15; XI, 2, 42; XI, 3, 26; XII, 2, 12; de theatro: II, 10, 13; VI, 1, 26; VI, 1, 36; VI, 1, 51; X, 5, 6; XI, 3, 4; de arte musica: V, 10, 124; IX, 2, 5; XI, 3, 19 sq.; XI, 3, 50; XII, 10, 68; de artibus fingendi: I, 2, 28; II, 1, 12; II, 4, 7; II, 13, 8 sq.; II, 17, 3; II, 17, 21; II, 19, 3; II, 21, 1; II, 21, 8 sq.; II, 21, 10; II, 21, 16; II, 21, 24; III, 9, 9; IV, 2, 120; V, 12, 21; VII pr. 1; VII pr. 2; VII, 10, 9; VIII, 5, 26; VIII, 6, 63; X, 2, 2; X, 2, 6 sq.; X, 3, 18; X, 4, 4; X, 5, 9; XI, 3, 46; XI, 3, 67; XII, 9, 8 cf. Froment, annales de Bordeaux 4 p. 1—14; de natura: I, 2, 14; I, 2, 26; I, 3, 5; II, 1, 4; II, 4, 8; II, 4, 9; II, 4, 11; II, 9, 3; II, 19, 2; IV, 2, 54; V, 8, 1; V, 10, 19; V, 10, 24; V, 12, 5; V, 12, 8; V, 13, 13; V, 14, 31; VI, pr. 10; VI, 1, 51; VIII, pr. 23; VIII, 2, 23; VIII, 3, 5; VIII, 3, 8 sq.; VIII, 5, 26; VIII, 5, 29; IX, 4, 5; IX, 4, 7; IX, 4, 27; X, 1, 31; X, 1, 72; X, 1, 78; X, 1, 88; X, 1, 92; X, 3, 2; X, 5, 14; X, 5, 17; X, 6, 6; X, 7, 28; XI, 3, 3; XI, 3, 21; XI, 3, 29; XI, 3, 145; XII, 1, 7; XII, 2, 11; XII, 2, 31; XII, 6, 3; XII, 10, 15; XII, 10, 19; XII, 10, 25; XII, 10, 60; XII, 10, 70; cf. Hil. II, 6 m; V, 3 m; V, 23 p; VI, 15 p; IX, 4; X, 53 m; de corpore; I, 1, 22; II, 4, 6; II, 5, 11; IV, 1, 61; IV, 2, 121; V, 12, 6; VII pr. 2; VII, 10, 7; VIII pr. 19; VIII pr. 19; VIII pr. 22; VIII, 5, 34; IX, 2, 4; IX, 2, 63; X, 1, 60; X, 1, 76 sq.; X, 1, 87; X, 4, 3; XI, 1, 70; XI, 2, 3; XI, 2, 10; XI, 3, 42 sq.; XI, 3, 55; XII, 8, 8; cf. Hil. II, 35; V, 38; VI, 1 p; VI, 3 p; VIII, 1 m; de medicina: II, 17, 9; II, 17, 25; II, 17, 39; IV, 2, 84; IV, 3, 10; IV, 5, 5; V, 13, 3; VI, 4, 19; VII, 10, 10; X, 4, 3; XII, 1, 34; XII, 8, 10; cf. Hil. I, 14 et II, 22; de re militari: II, 13, 3; II, 16, 5; II, 16, 10; IV, 2, 102; IV, 5, 14; V, 7, 8; V, 10, 109; V, 12, 122; VI pr. 14; VI, 3, 43; VI, 4, 4; VI, 4, 14; VI, 4, 17; VII pr. 2; VII, 10, 13; VIII pr. 15; VIII, 6, 42; IX, 4, 8 sq.; IX, 4, 14; X, 1, 29 sq.; X, 3, 3; X, 3, 10; X, 5, 16; X, 17, 16; XI, 3, 145; XII. 1, 1; XII, 1, 35; XII, 3, 4; XII, 3, 5; XII, 9, 2 sq.; XII, 9, 21; XII, 11, 28; cf. Hil. I, 14 p:

rebus cohaerent, compositi[1], quoniam quasi utriusque aetatis sunt specula, maxime idonei essent ad dilucide demonstrandum, quantopere scriptorum aetates inter se differant, quod demonstrare sine dubio alicuius momenti esset, tamen, cum id instituendo huic ipsi quaestioni fructum non percipiamus, ne propositum amittamus e conspectu, ea tantum memoranda videntur, quae in utroque opere inveniuntur similia. lenes sunt hi concentus, sed non praetermittendi. Quint. VI, 1, 52: *e confragosis atque asperis evecti* . . . . et Hil. II, 8 p: *evecti de importuosis locis* . . . .; Quint. X, 7, 23: *hoc dum egredimur e portu* . . . . Hil. VII, 3 p. *non ego nunc navem e portu solvo* . . . . quis autem non imitationem suspicetur, cum observet et Quintilianum et Hilarium librum XII comparatione navigationis incipere, quae, quamquam non eadem verba continent, apud Pictaviensem vix fortuita esse potest. huc accedit, quod Quintiliani locum episcopo notum fuisse cognoscimus, cum apud Quintilianum legamus: *rarus, qui tam procul a portu recessisset, reperiebatur . . . nunc caelum undique et undique pontus. unum modo in illa immensa vastitate cernere videmur, M. Tullium* (XII pr. 3) et apud Hilarium II, 8 p: eandem fere imaginem habeamus expressam: *evecti de importuosis locis in altum turbato mari sumus, et nec regredi nec progredi sine periculo licet . . . . est pater ut est et ut est esse credendus.*

Plura similia nobis occurunt eos utriusque locos considerantibus, ubi imaginem itineris adhibent; haec, si sola essent, nequirent Hilarium probare Fabi imitatorem. Quint. I pr. 3: *ne vulgarem viam ingressus alienis demum vestigiis insisterem* cf. Hil. V, 6 m: *vestigia impiae institu-*

I, 34 p; VIII, 19 m; VIII, 55 e; XI, 43 m; XII, 56; de re navali: II, 17, 24; IV, 1, 61; X, 7, 3; X, 71, 1; XII, 7, 4; XII, 10, 37; XII, 11, 5; cf. Hil. I, 3 e; I, 14; I, 37 m; II, 8 p; VI, 51; X, 67 m; XII, 1; XII, 51; de itinere: I pr. 3; II, 3, 9; II, 10, 1; II, 13, 16; II, 17, 29; III, 1, 14; III, 1, 16; III, 11, 23; IV, 2, 46; IV, 2, 104; IV, 5, 3; IV, 5, 22; VI pr. 6; IX, 2 78; X, 5, 7; X, 7, 5; X, 7, 16; XII, 11, 11; cf. Hil. V, 6 m; V, 11 p; VI, 13 e; VI, 22 p; VII, 1 p; XI, 24 m. ubique perspicuum fit Gallorum quarti saeculi eruditionem Quintilianeae multo infirmiorem esse.

*tionis gressus hic piae praedicationis inculcans.* Quint. III, 1, 5: *plurimi auctores . . . . diversas . . . . vias muniverunt* cf. Hil. VI, 13: *omnis hic superior haereticae fraudulentiae sermo hanc viam impiissimae doctrinae suae praeparavit.* haud spernendus autem hic concentus: Quint. XII, 10, 78: *scandenti circa ima labor est* et Hil. VII, 1 p: *in quo non ignoramus, quam difficile atque arduum iter doctrinae evangelicae scandamus.* comparemus porro: Hil. I, 20 m: *sed quia nullus per praerupta conscensus, nisi substratis paullatim gradibus feratur gressus ad summa, nos quoque quaedam gradiendi initia ordinantes, arduum hoc intelligentiae iter clivo quasi molliore lenivimus non iam gradibus incisum, sed planitie subrepente devexum, ut prope sine scandentium sensu, euntium proficeret conscensus* cum Quint. XII, 10, 78, ubi post verba modo allata pergit: *ceterum quantum processeris, mollior clivus ac laetius solum* — et VIII pr. 3: *via tamen opus est incipientibus, sed ea plana et cum ad ingrediendum tum ad demonstrandum expedita.* hoc loco neminem infitiari posse puto Hilarium ante oculos habuisse Quintiliani institutionem oratoriam: — omnino nihil certi eruimus, si cetera troporum figurarumque exempla quae praebet Fabius cum Hilarianis comparamus: ut ironiae (cf. VI pr. 26), anaphorae[1], adnominationis[2], homoioteleuti[3]; allitterationis[4], antitheseos[5], interrogationis[6], exclamationis[7].

---

[1] I, 3, 13; II, 5, 7; II, 12, 12; II, 17, 28; VI pr. 8, XI, 12, 13; VIII pr. 16; XII, 2, 7.

[2] I, 1, 2 *manifestum est non naturam defecisse, sed curam;* cf. II, 4, 4; II, 21, 15.

[3] IV, 2, 44 *supervacua cum taedio dicuntur, necessaria cum periculo subtrahuntur;* cf. II, 3, 9.

[4] V, 7, 25 *facilius-frequentius;* V, 10, 95 *confessis-fictione;* II, 19, 3 *manibus-marmore;* III, 8, 60 *tumultuosius-turbidius;* II, 12, 11 *vis-violentia;* II, 5, 5 *virtutes-vitia.*

[5] II, 5, 13; IV, 5, 7; X, 2, 22; X, 7, 21; XII, 3, 2. commutationes I, 6, 41; IV, 5, 21; X, 3, 10; XII, 10, 54.

[6] Q. ut H. tantam multitudinem praebet, ut in unaquaque fere pagina occurrant plures.

[7] cf. exempli gratia VI pr. 11 et XII, 2, 3.

3.

Certa autem velut signa et notas nos invenire persuasum habeo Hilari de trinitate operis verba cum Quintilianeis componentes. neque vero satis est utriusque scriptoris indagare similia verba, sed est inquirendum, num Hilarius verba, quamquam exstant in Quintiliani institutione, recipere potuerit aliunde. quod difficillimum est neque adhuc plene perficiendum, cum desint magna ex parte indices verborum. sufficiunt tamen, qui praesto sunt, ad nostram quaestionem absolvendam.

Primum quidem pauca ex multis exempla, quae, etsi, apud alios scriptores inveniuntur similia, tamen ex parte non spernenda imitationis documenta haud scio an videantur:

| Hilarius: | Quintilianus: |
|---|---|
| I, 1 m *quanto maiore indignitate his caretur.* | VIII, 3, 88 *praeciqua tamen eius opera δείνωσις in exaggeranda indignitate*[1]. |
| I, 5 p *incidi in eos libros.* | IX, 4, 53 *sicut in molestos incidimus grammaticos;* IX, 2, 73 *in personas tales incidi;* alia v. Bonnell. p. 413[2]. |
| I, 6 m *(sermo dei) plus .... significationis introspectus sensu continet, quam exceptus auditu.* | X, 5, 8 *non enim scripta lectione secura transcurrimus, sed tractamus singula et necessario introspicimus;* X, 2, 16 *non introspectis penitus virtutibus*[3]. |
| I, 30 p *cum a se dissideat* et V, 19 m *a gestis corporis tui mentis tuae opus dissidet* | XI, 3, 165 *non dissidens a voce gestus;* I, 11, 16 *ne caput oculique ab alia corporis inclinatione dissideant;* III, 8, 51 *neque enim minus vitiosa est oratio, si ab homine, quam si ab re .... dissidet.* |
| I, 35 m *nihil extrinsecus praesumptum afferentes.* | II, 16, 13 *adquisitae extrinsecus opis;* V, 11, 1 *quae extrinsecus adducuntur in causam;* VII, 4, 7 *factum per se improbabile* |

[1] indignitas = indignatio perraro exstat cf. Cic. Att. X, 8, Liv. V, 45; Just. III, 5.

[2] lexicon Quint. Lips. 1834.

[3] cf. Cic. Font. 43; Sull. 76; Tac. ann. XI, 38.

| Hilarius: | Quintilianus: |
|---|---|
| | *adsumptis extrinsecus auxiliis tuemur;* alia v. Bonnel. p. 318[1]. |
| II, 22 m *fides catholica . . . . opem medelae communis impertit.* | XI, 1, 72 *hoc . . . . commune remedium est;* XI, 1, 87 *in quibus omnibus commune remedium est*[2]. |
| II, 26 p *scrupulosas mentium cogitationes.* | XI, 1, 7 *scrupulosam disputationem;* V, 14, 28 *scrupulosius scrutantur omnia*[3]. |
| II, 35 e *spiritus sanctus promerendus est.* | IX, 1, 21 *ad promerendum actioni favorem*[4]. |
| II, 32 e *ne quid in his obscuritatis haereret.* | VII, 6, 2 *cum est in lege aliqua obscuritas*[5]. |
| III, 8 p *quibusdam sententiarum collectionibus inhaerentes.* | I, 6, 20 *inhaerendum ei* (scl. rectae locutioni) *iudico;* VIII pr. 30 *ut semper sensibus inhaerere videantur;* X, 6, 5 *non superstitiose cogitatis demum est inhaerendum*[6]. |
| III, 21 m *fluenta fontium inhiberemus.* | X, 3, 20 *inhibetur cursus*[7]. |
| IV, 4 e *si imminutioni . . . . fiat obnoxius* (scl. deus); X, 1 p *non est ambiguum omnem humani eloquii sermonem contradictioni obnoxium semper fuisse;* cf. VIII, 3 e; X, 5 p. | II, 17, 29 *tot malis obnoxia veritas;* III, 9, 7 *animum . . . . adversum gratiae an obnoxium;* XI, 3, 29 *omnia . . . . sunt . . . . iniuriae obnoxia.* |

[1] cf. Colum. I, 6 *haec extrinsecus, non tamen intempestive videor hoc loco retulisse;* Lact. div. inst. III, 8, 42 *nullo extrinsecus adiumento indigere;* ib. III, 1, 3; III, 3, 3; VI, 5, 6; VI, 16, 7; VII, 11, 10; apud Ciceronem *extrinsecus* frequentissimum.

[2] affero exempla propter similitudinem sensus. verbum *medelae* apud Lactantium div. inst. III, 8, 7; IV, 15, 9; VI, 13, 4; VII, 13, 18; inst. ep. 40, 2; de ira dei 17, 12.

[3] *scrupulosus* non rarum; apud ecclesiasticos H. antecedentes non inveni.

[4] cf. Arnob. adv. nat. VII, 23.

[5] cf. Lact. div. inst. III, 25, 14 *in rebus . . . obscuritate inplicatis.*

[6] cf. Petron. sat. 88, 5 *Lysippum statuae unius lineamentis inhaerentem inopia exstinxit;* Lact. div. inst. I, 1, 1; I, 1, 23; IV, 1, 4; VI, 6, 6; VI, 20, 27; de ira dei 24, 7.

[7] cf. Lact. de mort. persecut. 33, 3.

| Hilarius: | Quintilianus: |
|---|---|
| V, 2 p *qui et aditum sibi demonstrandae veritatis acquireret.* | IV, 1, 46 *dum aditum sibi ad aures faciat*[1]. |
| V, 10 p *Sodomae et Gemorrhae eversor.* | VIII, 6, 30 *eversor Carthaginis et Numantiae*[2]. |
| V, 18 p *angustum .... irreligiositate sensum.* | VI, 2, 3 *angusta ingenii vena.* |

Sunt plura verba Hilario Quintilianoque communia, quorum eaedem formae apud Ciceronem solum, quantum vidi, exstant, ut, utrum forte ecclesiasticus scriptor secutus sit hunc an illum, cum eum Tullium ignorasse non sit verisimile, diiudicari non possit[3].

| Hilarius: | Quintilianus: | Cicero: |
|---|---|---|
| IV, 5 m *profecto non ambigeretur.* | XI, 2, 16 *profecto non taciturus de tanta sua gloria.* | Tusc. III, 14; de nat. deor. I, 54; I, 84; II, 19. |
| I, 19 p *sed infirmitas nostrae intelligentiae cogit species quasdam ex inferioribus, tamquam superiorum indices quaerere.* | XI, 3, 62 *est .... mentis index* (scl. vox); XI, 3, 75 *lacrimas .... mentis indices.* | Rab. perduell. XI, 18 *quin continetis vocem, indicem stultitiae vestrae.* |
| II, 21 m (sermo) *non habet quo excurrat.* | IV, 3, 14 *extra ordinem excurrens tractatio.* | de or. III, 190 *ne excurrat longius* (scl. oratio). |
| IV, 14 p *ad divinarum rerum cognitionem.* | I, 10, 10 *cum divinarum rerum cognitione.* | cf. Tusc. V, 7; de div. I, 3. |
| V, 6 m *omnis interim nobis de lege et prophetis adversus impios pugna sit.* | VIII, 6, 1 *circa quem* (scl. tropum) *inexplicabilis et grammaticis inter ipsos et philosophis pugna est.* | de div. II, 105 *hic vero quanta pugna doctissimorum hominum ....!* |

[1] Q. ut saepe Ciceronis verba recepit: Cic. dom. 3 *aliquem se aditum ad aures vestras esse habiturum;* cf. Caes. civ. I, 74, 5 *per quem quisque eorum aditum commendationis haberet ad Caesarem;* Liv. 41, 23 *privatae gratiae aditum apud regem quaerebat;* Caes. Gall. V, 41, 1; Nep. Paus. III, 3.

[2] cf. Verg. Aen. XII, 545 *Priami regnorum eversor Achilles,*

[3] dolendum est, quod plenus index scriptorum Ciceronis rhetoricorum non exstat, quamquam Hilarium, si quidem Quintiliani institutionem adhibuit, eis valde operam dedisse non putaverim.

| Hilarius: | Quintilianus: | Cicero: |
|---|---|---|
| V, 36 *ab eo initium sumi.* | VIII, 6, 50 *cum initium a tempestate sumpserunt;* XII, 6, 1 *agendi initium sumendum est.* | leg. II, 1 *quoniam .... tibi aliud dicendi initium sumendum est.* |
| VI, 32 m *neque legentium onerandus est sensus .... dictis.* | V, 12, 8 *nec .... omnibus .... argumentis onerandus est iudex;* VI, 3, 65 *onerabo librum exemplis;* IV, 5, 26 *brevis nec ullo supervacuo onerata verbo* (scl. propositio). | nat. deor. III, 8 *quia te quoque animadverti .... saepe cum in foro diceres, quam plurimis posses argumentis onerare iudicem.* |
| IX, 45 e *exprobra infirmitatem dei filio.* | IX, 1, 83 *ne .. exprobraret patri nuptias.* | Verr. V, 132 *num casus bellicos* (scl. tibi) *exprobrare aut obicere videor?;* de or. II, 305 *ea* (scl. vitia aut incommoda) *tu in adversariis exprobrando non intellegas te in iudices invehi .... ?* |
| X, 3 p *incidimus ... in hoc molestissimum tempus.* | VI, 5, 4 *Cicero videtur .. contrahere tempora dicendi maluisse quam in eum annum .... incidere;* XII, 1, 16 *quae* (scl. bella) *in aetatem eius gravissima inciderunt.* | Phil. II, 88 *sed incidi in id tempus.* |

Pluribus locis cum Hilarius similia Quintilianeis verba praebeat, eadem apud Lactantium invenimus. quem Fabi interdum sermoni se applicasse post alios S. Brandtius[1] demonstravit, etiamsi omnino non omnia, quae

[1] graviora mihi esse videntur documentorum, quae in editione Lactanti (Vindob. 1890/98) excitat: Quint. I, 1, 1 — Lact. opif. VI, 11; Quint. X, 1, 129 — Lact. div. inst. V, 9, 19; minoris esse momenti putaverim: Quint. I, 2, 28 — Lact. opif. VIII, 7; Quint. I, 4, 4 — Lact. div. inst. II, 12, 4; minus etiam valere apparet: Quint. VIII, 5, 5 — Lact. div. inst. III, 17, 32; Quint. X, 1, 123 — Lact. div. inst. V, 1, 25. his autem documentis, quamvis impari sint pretio, pro certo demonstratur Lactantium interdum imitatum esse Quintilianum.

exstant, exempla congessit neque congerere studuit. quaestio igitur hic et illic exoritur, utrum Hilarius Lactantium aut ignoraverit aut obiter tantum noverit, an elegantissimum illum scriptorem ecclesiasticum pernoverit eiusque verba, sive conscius sibi sive inscius, receperit. cognitionem operum Lactanti ex paucis, quae afferre possum, exemplis haud dubie elucere videmus[1].

| Hilarius: | Lactantius: | Quintilianus: |
|---|---|---|
| I, 2 m *cum . . . sese ipsa* (scl. vita) . . . . *consumeret.* | div. inst. III, 4, 10 *se ipsa philosophia consumit et conficit.* | VIII, pr. 16 *hic omnis aetas consumitur.* |
| I, 20 m *operis inordinata congeries.* | div. inst. I, 5, 8 *rudis inordinataeque materiae confusa congeries.* | I, 10, 46 *discimus nihil esse inordinatum atque fortuitum;* VIII, 2, 23 *inordinata aut indistincta;* X, 4, 1 *inordinata digerere.* |
| II, 2 p *inconcessa praesumere: psalm. 2 dum inconcessa expetit.* | div. inst. III, 20, 4 *inconcessa scrutari.* | X, 2, 26 *cum totum exprimere, quem elegeris, paene sit homini inconcessum.* |
| III, 3 p *non ex aliqua subiacente materia.* | II, 8, 9 *ex materia subiacente ac parata.* | III, 6, 91 *quaestionum, quae velut subiacent his;* VII, 4, 41 *plerumque* (scl. quantitas) *eidem* (scl. qualitati) *subiacet;* v. Bonell p. 862. |
| IV, 21 e *in fabricatione mundi.* | div. inst. IV, 6, 9 *in fabricatione mundi;* ib. VII, 1, 6 *qui de mundi fabricatione disseruit;* ib. II, 5, 3 *generis humani et rerum mirabilium fabricatorem.* | II, 6. 12 *fabricator mundi.* |

[1] Pictaviensem non citare Lactantium non obest. priores scriptores ecclesiasticos ei fuisse notos documento est comm. in Matth. V, 1 *de orationis autem sacramento necessitate nos commentandi Cyprianus sanctae memoriae liberavit. quamquam et Tertullianus hinc volumen aptissimum scripserit, sed consequens error hominis detraxit scriptis probabilibus auctoritatem.*

| Hilarius: | Lactantius: | Quintilianus: |
| --- | --- | --- |
| V, 1 p *in eam nos contradicendi necessitatem deductos fuisse.* | div. inst. II, 1, 10 *si quis ad extremam mendicandi necessitatem deductus ....* | VII, 1, 35 *videsne, ut ipsa rerum necessitas deducat ad defensionem.* |

Ex parte horum exemplorum bene cognoscimus Lactantium, quae ex Quintiliano hauserat, varie ac sollerter eleganterque mutasse[1]. quod etiam melius intellegemus, cum exempla consideramus, in quibus certe diiudicari non potest, utrius magis in memoria haeserint verba, Quintiliani an Lactanti, si modo haeserint:

| Hilarius: | Quintilianus: | Lactantius: |
| --- | --- | --- |
| I, 20 m *nullus .... conscensus est nisi substratis ... gradibus feratur gressus ad summa.* | VIII, 4, 26 *etiam si non per gradus ascendant* v. Bonnell. p. *367.* | inst. ep. LXIV, 6 *per gradus ad eam sententiam descendit.* |
| I, 20 e *nos quoque ... initia ordinantes;* II, 1 e *omnia ... sunt suis virtutibus ac meritis ordinata.* | V, 12, 14 *quae, prout ratio causae cuiusque postulabit, ordinabuntur.* | de ira dei V, 14 *quia argumentum sic ordinavit.* |
| III, 21 p *et omnia quidem insuper mundi opera adesse nobis in testimonium possent.* | IV, pr. 1 *nova insuper mihi diligentiae causa ... accessit;* VI, pr. 3 *novis insuper curis;* VIII, 6, 70 *crescit ... hyperbole alia insuper addita.* | div. inst. IV, 15, 17; V, 1, 7; VI, 23, 23; VII, 1, 25. |
| IV, 10 e *id ad amplificandam potestatem eius .... redundabit.* | XII, 2, 19 *quorum pars ad rationalem, pars ad moralem tractatum redundat.* | div. inst. VII, 2, 7 *quae ad officium fructumve corporis non redundent;* ib. VII, 12, 19 *inbecillitas de societate fragilitatis redundat ad mentem.* |
| V, 12 m *ad unius dei ... confessionem ...* | IV, 2, 15 *quibus meritis fretus ad petitio-* | de ira dei II, 9 *sed ut ad propositam ma-* |

[1] cf. Brandt ed. Lact. prol. p. 102.

| Hilarius: | Quintilianus: | Lactantius: |
|---|---|---|
| *descendimus.* | *nem descenderit;* IX, 2, 23 *ad aliquid... descendimus;* IX. 1, 57 *ne ad eas* (scl. accusationes) *libenter descendisse videamur.* | *teriam per ordinem descendat oratio.* |
| VII, 4 m *cognosci... hoc ex ipsis haereticorum studiis promptissimum est.* | IX, 1, 22 *quae* (scl. nomina) *fingere útique Graecis promptissimum est;* X, 3, 12 *nec promptum est dicere utros peccare validius putem;* XII, 2, 12 *adeo ..... discere meliora volentibus promptum est.* | div. inst. I, 12, 13 *cuivis intellegere promptissimum est.* |

Exstant quoque pauca exempla, ubi Hilari verba praeter Quintilianum et apud Ciceronem et apud Lactantium inveniuntur. quorum num quem sit secutus Pictaviensis, optime in medio relinquemus:

| Hilarius: | Quintilianus: | Cicero: | Lactantius: |
|---|---|---|---|
| I, 3 m *praecepta statuentes.* | I, pr. 14 *ad... statuendas.. leges.* | Verr. III, 5 et 7; Phil. X, 12. | inst. ep. LXVI, 3 *novas leges statuet.* |
| IV, 4 p *ut id ... infirment.* | VII, 6, 9 *scriptum ... infirmare debebit;* cf. VII, 1, 49. | frequenter. | V, 2, 8 *ubi... infirmare voluit rationem.* |
| VI, 1 p *ecclesiis morbo pestiferae huius praedicationis infectis.* | I, 11, 2 *quae* (scl. vitia) .... *mentem praecipue in aetate prima teneram adhuc et rudem inficiunt.* | Tusc. III, 3 et V, 78; de leg. III, 30 *cupiditatibus principum et vitiis infici solet tota civitas.* | II, 8, 4 *suapte invidia tamquam veneno infectus est.* |

| Hilarius: | Quintilianus: | Cicero: | Lactantius |
|---|---|---|---|
| X, 1 p *voluntatum motibus.* | IV, 2, 115 *sine motu mentis*; IX, 2, 4 *motus . . . orationis*; II. 3, 71 *motus . . . et verecundiae et dubitationis et admirationis et indignationis.* | saepissime. | de ira dei XVI, 6 *animi motum* ib. XIV, 8. |
| II, 21 m *(sermo) non habet, quo excurrat*; X, 4 p *sermo dei . . . . liber excurret.* | IV, 3, 14 *extra ordinem excurrens tratatio.* | de or. III, 190 *ne insistat interius* (scl. oratio), *ne excurrat longius.* | de opif. VII, 1 *si excurrere aut resistere vellet* (scl. mens). |

Sed ne desunt quidem Hilari verba, quae, quantum per auxilia quae praesto sunt iudicare licet, a nullo potuit tali modo coniuncta mutuari scriptor nisi a Fabio. leniores primum attingo similitudines:

| Hilarius: | Quintilianus: |
|---|---|
| I, 13 p. *ne in aliquo . . tardaretur errore.* | XI, 2, 34 *qui legente alio ediscit, in parte tardatur.* |
| I, 18 p *fidei calor.* | X, 3 6 *calor . . . cogitationis*; VIII, pr. 23; XI, 3, 130 *calore dicendi.* |
| I, 20 p *nihil . . . incompositum indigestumque placuit afferre.* | IX, 4, 6 *fortius vero qui incompositum potest esse quam vinctum et bene conlocatum?* IX, 4, 17 *rudibus et incompositis similia*; IX, 4, 32 *licet et vincta sit et apte cadens oratio, tamen merito incomposita dicatur.*[1] |
| II, 1 p *sufficiebat . . . sermo, qui in aures nostras . . . transfusus est.* | XI, 1, 45 *dolorem suum etiam in audientis transfundere.* |

[1] non verisimile est Hilarium cogitasse de Hor. serm. I, 10, 1 *nempe incomposito dixi pede currere versus Lucili.*

| Hilarius: | Quintilianus: |
| --- | --- |
| II, 3 p *dictorum virtus.* | VIII, pr. 26 *quasi vera sit ulla verborum nisi rei cohaerentium virtus.* |
| III, 8 p *quibusdam sententiarum collectionibus inhaerentes.* | IX, 2, 103 *collectionem, qui apud illum est* συλλογισμός; IV, 4, 2 *quae solet in argumentis esse summa collectio.* |
| III, 21 p *in excidium dei potestatis irrumpimus.* | IV, 2 122 *in ipsa capitis aut fortunarum pericula inrupit voluptas.* |
| IV, 17 p. *cognitionem eorum . . . quae gessit.* | III, 1, 3 *ad cognitionem eorum quae necessaria studiis arbitrabamur.* |
| IX, 42 m *haec . . . sibi cohaerent.* | VII, pr. 3, *oratio . . . sine rectore fluitet nec cohaereat sibi.* |
| V, 10 p *quid sub religionis nomine religionem evertis?* | I, pr. 15 *sub hoc nomine maxima in plerisque vitia latuerunt.* |
| VII, 1 m *ut veritatis intelligentiam . . . averteret.* | VI, 3, 87, *averti intellectus . . . solet, cum ab asperioribus ad leniora deflectitur.* |
| VIII, 52 e *quisquis in hac infidelitatis stultitia detinebitur.* | X, 5, 17, *adulescentes non debent nimium in falsa rerum imagine detineri.* |
| IX, 33 p *quamquam . . . sciam morosas difficilium quaestionum absolutiones legentium desideriis graves esse.* | I, 12, 7 *aliquid desideriis amicorum . . . damus*; IV, 2, 122 *cui hominum desiderio quantum dari debeat alio loco dicam*; VIII, 4, 29 *demus . . . breviter hoc desiderio iam paene publico.* |

Haud pauca denique restant argumenta, quibus fit luce clarius Hilarium habuisse ante oculos rhetorem nostrum:

| Hilarius: | Quintilianus: |
| --- | --- |
| I, 1 e *sine cura habendi copia redundat utendi.* | IX, 3, 74 *delectatus est his etiam M. Tullius, verum et modum adhibuit non ingratae, nisi copia redundet voluptati.* |

| Hilarius: | Quintilianus: |
| --- | --- |
| I, 20 *ne operis inordinata congeries rusticum quendam tumultum perturbata vociferatione praeberet.* | IV, 2, 37 *nec sibi diserti videntur, nisi omnia tumultu et vociferatione concusserint.* |
| I, 32 p *verbis tantum inhaerentes.* | VII, 1, 58 *verbis inhaerebit.* |
| I, 37 m *in srutandis . . . . dictis . . . omnes obseratae intelligentiae aditus pulsabimus.* | V, 10, 122 *scrutanda singula et velut ostiatim pulsanda.* |
| I, 37 e *ultra naturalem opinionem fidei oboedientia provehit.* | VI, pr. 10 *ne . . . ultra quam homini datum est, nostra provehantur.* |

Hil. I, 38 e *tribue ergo nobis verborum significationem, intelligentiae lumen, dictorum honorem, veritatis fidem.* accedimus ad omnium firmissimum argumentum. primum cum Hilarius expetat *verborum significationem* et *dictorum honorem* — cf. Quint. III, 7, 12 *nam et pulchritudinem interim roburque prosequimur honore verborum* —, nonne spectat ad Quint. X, 1, 8 sqq.? ipsum locum legamus: *nobis autem copia cum iudicio paranda est vim orandi non circulatoriam volubilitatem spectantibus. id autem consequimur optima legendo atque audiendo: non enim solum nomina ipsa rerum cognoscemus hac cura, sed quod quoque loco sit aptissimum. omnibus enim fere verbis praeter pauca, quae sunt parum verecunda, in oratione locus est . . omnia verba exceptis de quibus dixi, sunt alicubi optima: nam et humilibus interim et vulgaribus est opus, et quae nitidiore in parte videntur sordida, ubi res poscit, proprie dicuntur; haec ut sciamus atque eorum non significationem modo, sed formas etiam mensurasque norimus, ut ubicunque erunt posita, conveniant, nisi multa lectione atque auditione adsequi nullo modo possumus, cum omnem sermonem auribus primum accipiamus.* quam difficile fuisse debet Hilario verborum significationem et dictorum honorem invenire, cum ut vidimus de multis rebus Latino sermone primus disseruerit. videmus haec iam verba docere lectum Quintilianum. multo

autem maioris momenti sunt Hilari verba, quae sequuntur sine ulla dubitatione ex Quintiliano deprompta: *intelligentiae lumen* cf. Quint. VIII, 2, 23 *tenebris orationis inferat quoddam intelligentiae suae lumen*; *veritatis fidem* cf. Quint. III, 8, 51 et IX, 2, 19. itaque Hilarium ex Quintiliano pendere nusquam magis in oculos incurrit, cum nomina donorum, quae a deo orat, aut ut melius dicam, virtutum, quas in rebus divinis explicandis appetit, ab uno Quintiliano receperit.

| Hilarius: | Quintilianus: |
| --- | --- |
| II, 11 e *non summam intelligentiae comprehendentes.* | X, 1, 48 *summa celeriter comprehensa.* |
| II, 13 p *patrocinium .... difficultatum.* | I, 12, 16 *difficultatis patrocinia.* |
| IV, 14 e *neque se ultra divinam constitutionem humana consilia extendant.* | IV, 5, 3 *partitionem vetant ultra tris propositiones extendere* |
| IV, 29 *non discrevit naturae nomine quos significatione distinxerat.* | IX, 3, 25 *parva momenta nominibus discreverunt.* |
| V, 13 *equid naturae aufers veritatem?* | XII, 1, 36 *auferre ... iudici veritatem.* |
| VI, 23 p *non contamino veritatis fidem ut hoc verbis meis adstruam.* | VIII, 3, 64 *ut ... quaedam ... ex iis, quae dicta non sunt, sibi ipse adstruat.* |
| VII, 4 p *magna .... vis est verittatis.* | IX, 2, 76 *verba vi quadam veritatis erumpentia.* |
| VIII, 47 p *ut ... singularis dei praedicandi occasionem impiam praebeat.* | V, 13, 31 *praebet eius rei occasionem.* |
| XII, 52 p *neque .... in id stultitiae atque impietatis erumpam.* | VIII, 3, 4 *erupisse in hunc voluptatis affectum.* |

Iam summam quaestionis facientem recentioribus viris doctis, qui de hac quaestione iudicaverunt, cum aperte me concedere aequum sit utrumque scriptorem et aetate et eruditione et sermone esse disparem et dissimilem, tamen haud pauca imitationis documenta magis minusve firma esse eruta sine ulla dubitatione confirmaverim. consilio

autem Hilarium aemulatum esse rhetorem praecipue inde efficitur, quod librorum primus, quem primum quoque esse conscriptum constat, praebet longe plurima et evidentissima Quintilianei sermonis vestigia. nam cum XIX ineuntia capita minus redoleant institutionem oratoriam, in capite XX in unaquaque fere sententia Quintilianum agnovimus: *nihil enim incompositum indigestumque placuit afferre* (cf. p. 27), *ne operis inordinata congeries* (cf. p. 24) *rusticum buendam tumultum perturbata vociferatione praeberet* (cf. p. 29). *sed quia nullus per praerupta conscensus est, nisi substratis paulatim gradibus feratur gressus ad summa* (cf. p. 25), *nos quoque quaedam gradiendi initia ordinantes* (cf. p. 25) *arduum hoc intelligentiae iter clivo quasi molliore lenivimus non iam gradibus incisum, sed planitie subrepente devexum, ut prope sine scandentium sensu euntium proficeret conscensus* (cf. p. 19). de I, 38 e, loco nobis praestantissimo, satis habeo monere. sed per totum quoque opus exstant documenta: Hilarium videmus non solum in universum disserentem instituentemque ordinem, sed etiam in disputationibus theologicis uti Quintiliani verbis. neque vero contentus est exscribendo, ea transformat, ut quadrent in ipsius sermonem, quo minus miremur de recentioribus, qui id non viderint, quam admiremur acumen Hieronymi, qui perspexerit imitationem cognitu tam difficilem. quod autem idem Pictaviensem institutionis librorum numerum quoque esse aemulatum affirmat, postquam stili imitationem cum per totum opus tum in capite XX, quo ad materiam disponendam aggreditur, vidimus, summa contenderim fiducia in distributione quoque quasi interlucere exemplum Quintiliani.

Quae cum ita sint, aliquantum progressi sumus et in Hilari de trinitate opere, quo litterarum Latinarum loco sit ponendum, cognoscendo — ut plures priorum ecclesiasticorum et Pictaviensem videmus euntem per vestigia veterum — quam viam etiam saeculo nono ingreditur Einhardus, imi-

tator ille Suetoni[1] — et in Quintiliani apud posteros auctoritate perspicienda, cum verisimillime sit effectum institutionem Fabi oratoriam Burdigalae in discipulorum manibus fuisse. hanc autem disputationem, qua Hilarius demonstrabatur haud dubie imitator Quintiliani, si similes de aliis post Fabium scriptoribus institutae excipient, fore ut contingat spes est, ut rhetoris, ut ita dicam, post mortem vitae via per aliquantum spatium illuminetur.

[1] cf. Einhardi vita Karoli Magni rec. Waitz. Hannov. et Lips. 1905 p. 13.

## II.

# De Hilario artis rhetoricae studioso[1].

### 1.

Pauca, quae in Hilari sermone universe ad rhetoricen spectare videntur, praeceperim. consideremus primum, quomodo opus potentissimum inchoaverit. cui cum similiter atque oratori verba facere ineunti legentes benevoli et attenti et dociles (cf. Quint. IV, 1, 5) videantur reddendi, principium capit a philosophia eiusque rebus expetendis, otio et opulentia, quibus, cum nisi beluinam nullam parare possint felicitatem, contentum se — et ipsum prius ethnicum atque philosophiae peritum — non fuisse. qua re, quomodo scriptor sit commotus, sentientes una cum eo pugnam novae de vita sententiae sibi conciliandae pugnamus, ut ardore quodam flagremus doctrinam divinam cognoscere, quam et explicaturus et defensurus est. id quod summo studio appetiverat, in libris a Moyse atque a prophetis scriptis Hebraeorum repperit: deum aeternum, infinitum, quem homines capere nequeunt, pulcherrimum, qui sola fide cognosci potest. fiducia et spes inde haustae augebantur initio evangelii Ioannis, in quo doctrinam divinitatis filii sacramento non intelligibili hominis facti invenit perspicue expositam. iam una cum eo gaudemus in securitatis otio requiescere atque ita lector commodissime materiam cognovit et quae scriptor de ea explicaturus sit, scire cupit. quibus primordiis animus noster praeparatus

[1] quoniam duodecim de trinitate libros, quod cum res tum verba attinet, omnium opus esse constat excellentissimum, eius imprimis ornamenta oratoria erunt monstranda, praesertim cum in priore parte solum fuerit adhibendum. sed alia scripta — praecipue pugnantia illa et quasi bellatoria — interdum videbantur non neglegenda.

est ad alteram operis partem. nonne hic homines eius aetatis, cum tam paucis et claris sententiis veram doctrinam divinam tanta firmitate positam legebant, statim inimici esse debuerunt haereticis, qui, cum religionis opus oboedientiae esset officium, sui immemores, divinorum neglegentes praeceptorum emendatores (I, 15 e) existerent suo arbitrio magis quam fide res divinas comprehendere conantes? — minus sane subtiliter quam prooemium totum opus distributum et confectum est, etsi auctorem nusquam neglegentiae arguere possumus, cum in omnes partes eum contulisse operam et studium sentiamus[1].

Ut perspicere nobis visi sumus ineuntia capita modo principii esse conscripta orationis, ita alias hic et illic invenimus oratorem. hic cum audientibus agit, hic adversarios compellat. quid aliud est, quod Hilarius lectores alloquitur, ut II, 12 e sq. *hortabor,* scribit, *forte vos connivere et tacere, quia ad venerationem satis sit, eius, qui praedicatur, leprosos emundatos fuisse . . . ? exspectate itaque nihil minus claudorum cursu . . . vita mortuorum.*[2] dubitantem nimisque scrutantem compellat, quasi in rhetoris schola contra disputanti arma auferret, II, 9 m: *non te, quisquis es qui haec requires, revoco in excelsum, non in amplitudinem tendo, non deduco in profundum; nonne aequanimiter ignorabis creatoris nativitatem, ignorans originem creaturae? hoc saltem requiro sentisne te genitum et quae ex te generentur intelligis? non quaero sensum unde hauseris, vitam unde sortitus sis, quale est quod in te sit odor, sensus, visus, auditus; certe nemo quod facit nescit; quaero unde ista iis, quos generes indulgeas, qualiter sensum inseras, oculos accendas, cor affigas. haec, si potes, enarra. habes ergo quae nescias et tribuis quae non intelligis; aequanimiter imperitus in tuis, insolenter in dei rebus ignarus.*

[1] cf. argumentum I, 20—36; praeterea IV, 1; V, 3 p; V, 6 p; V, 12; V, 35 m; VI, 16 e; VIII, 12 e; IX, 43 e, ubi de ordine operis iterum loquitur.

[2] cf. IV, 27 m; IV, 28 p; IV, 30 p; IV, 33; IV, 35 p; IV, 42 p; V, 8 e.

Adversarios suos, haereticos, quos saepe metaphoris tantum et iis non blandis significat, ut *infelix error* (VI, 17 m), *infelix stultitia* (VI, 29 m), *infelix intelligentia* (VI, 43 p), *inanis furor* (VI. 47), *impietas* (IX, 47 e), vehementius increpare non posset, si in opera forensi versaretur. ex nube[1] pauca exempla; VI, 38: *an ne, o miser quisquis hodie es haeretice, beatiorem Petrum futurum fuisse existimas, si dixisset: tu es Christus perfecta dei creatura et supereminens facturis omnibus factura et qui ex nihilo esse coepisti et per bonitatem dei, qui bonus solus est, nomen filii adoptione meruisti et qui non ex deo natus est? et quaero a te, quid auditurus fuerit haec dicens . . .*[2] dignum quoque est quod afferatur VIII, 27 p: *sed te, haeretice, furentem et spiritu doctrinae mortiferae circumactum tenet et coarctat apostolus . . .*

Quoniam omni modo haereticos ad suam sententiam adducere conatur, proinde ac praesentes adsint, nunc hortatur, nunc minatur. quanta sibi ipsi incommoda inferant, V, 15 exponit: *sed o pestifer haeretice, deum Abraham confessus est, quem tu deum denegas. quas promissas Abrahae benedictiones, impie, expectas? non est tibi ille ut est gentium pater, neque in familiam seminis sui per benedictiones fidei suae renatus evadis. non de lapidibus Abrahae filius excitaris, sed natio viperarum confessionis suae hostis exsistis. non es Israel dei, non es Abrahae successio, non justificatus ex fide es, non enim deo credidisti.* in VII libri cap. 23 haereticos comparat cum Iudaeis Christum lapidantibus, quod deum se faceret: *at tu vero, haeretice, quid agas et profitearis, agnosce et eorum te intellige esse consortem, quorum in te refers perfidiae exemplum . . quid tu non habendo quem lapides, denegando minus efficis? non differt voluntas, sed voluntatem tuam inefficacem esse*

---

[1] cf. III, 22 sq; V, 16; V, 25; V, 23 p; V, 30 m; V, 32 e; V, 33 m; V, 39; VI, 16 p; VI, 18 p; VI, 25 e; VI, 37 m; VI, 42 m; VI, 59 e; VII, 31 m; VIII, 21 e; VIII, 28; VIII, 35; VIII, 40 p; IX, 44 p; IX, 47 m; IX, 51 m; X, 27; X, 29; X, 45 e; XI, 10; XII, 35 p; XII, 50 m.

[2] animum intendas ad prosopopoeiam efficaciter adhibitam.

*coelestis thronus efficit. quanto tu irreligiosior Iudaeo: lapides ille in corpus elevat, tu in spiritum; ille in hominem, ut putabat, tu in deum; ille in diversantem in terris, tu in throno virtutis sedentem; ille in ignoratum, tu in confessum; ille in moriturum, tu in iudicem saeculorum.* neque minationibus parcit episcopus IV, 41 p: *negantem te deum in deo, sequens sermo confutat: erubescunt et pudebit omnes, qui adversantur ei, et ibunt cum confusione* . . . . lenius haereticos adhortatur IX, 32 m (cf. XII, 44 p), ut rectam fidem cognoscant: *vitae aeternae fidem vel loqui haeretice disce vel credere.*

Minus fortasse mirandum neque vero minus memorandum est, quod in libello illo contra Constantium acerrimo, etsi dirigitur ad fratres, ad ipsum imperatorem se convertit (cap. 7 sqq), gravior etiam haec allocutio est, quam in eodem opusculo (cap. 8 p) invenimus: *plus crudelitati vestrae, Nero, Deci, Maximiane, debemus. diabolum enim per vos vicimus.*

Patriarcham Iacob auxilio arcessit V, 19 p: *adesto, adesto nunc mecum fidei tuae spiritu adversus venenata infidelitatis sibila, sancte et beate patriarcha Iacob* . . . . . appellat quoque discipulos domini VI, 33 m: *tanta et tam deo propria, vos o sancti et beati viri et ob fidei vestrae meritum claves regni coelorum sortiti* . . . . ipsumque Christum contra haereticos invocat V, 30 m: *novi per te Christe . . . . omnis enim credentium fides te deum iurat, deum verum esse te confitens, deum verum esse te praedicans, deum verum esse te conscia.* cum Hilarius haereticos, Iacob, apostolos, Christum alloquatur, quis miretur, quod deum sollemniter implorat (I, 37 sq.; VI, 19; XII, 52; XII, 57)? quamvis autem persuasum habeamus Hilarium tali in deum animo fuisse qualis in precibus cognoscitur, tamen nemo, arbitror, dubitare possit, quin artis rhetoricae sibi conscius fuerit scriptor, quin haud sine consilio has preces inseruerit, quibus quasi exemplum legentibus ponit, quomodo deum colere deceat hominem non ignorantem humanae menti doctrinam divinam intellegere minime li-

cere. sed praeterea haec forma rhetorica maxime idonea est, qua deum confitendo ecclesiastica doctrina exprimatur, cum hoc modo confessio iterata propter varietatem formae minus graviter a lectore feratur.

Magis etiam de eloquentia et ea iudiciali monemur, quod scriptor Ioannem quasi testem inducit (II, 13 sqq.) eiusque imaginem tanta claritate adumbrat, ut eum consilio hypotyposin[1], quam dicunt rhetores et Quintilianus (IX, 2, 40) sub oculos subiectionem Latine appellat, adhibuisse haud scio an colligere possimus: *consistit . . . mecum . . . piscator egens, ignarus, indoctus, manibus lino occupatus, veste uvida, pedibus limo oblitus, totus e navi.* haec imago per capita sequentia tenetur; in cap. 16. legimus: *redde sacramenti tanti, piscator meus, dispensationem et refer ad unum omnia sine contumelia sine abolitione sine tempore* et cap. 17 p: *exspectamus adhuc a te piscator, plenitudinem verbi.* contra dicitur quoque apostolo cap. 18 p: *sed dicitur tibi ab aliquo, piscator meus, nimium facilis et promiscuus hic fuisti* . . . . rursus ad eum se convertit, quasi praesens sit, in cap. 18: *non habeo hic, piscator meus, ut in caeteris, quod ex meo proferam; a tuo statim respondendum est*[2]. id demonstrationis genus non unicum est, aliud Quintilianus (IX, 2, 41) describit: nec solum quae facta sint, sed etiam quae futura sint aut fuerint, imaginamur. ad hanc definitionem praebet Hilarius pulcherrimum exemplum III, 21: *si liceret, corpora et manus ad coelum elevaremus, permisceremus decessus Oceani et accessus, fluenta etiam fontium inhiberemus et naturas fluminum referremus, concuteremus fundamenta terrae et toto in haec opera dei parricidio desaeviremus.* cui hic non in mentem veniunt declamationes illae rhetorum?

---

[1] praecipue velim conferas Nicolai definitionem 3, 476 Spengel.

[2] velim conferas IV, 43, ubi Ioannis haereticis oppositi imago negatione adumbratur.

2.

Quas res postquam quasi praeludentes tetigimus, paullo copiosius, non minus vero praecise tractemus ea, quae ecclesiasticum manifesto demonstrant artis rhetoricae studiosum, **tropos** et figuras.

Quod in oratione scriptoris nostri eximium et maxime conspicuum inest, eius opera imaginibus, translationibus et allegoriis et similitudinibus, abundant. percurramus veloci oculo opus eius praestantissimum intuentes, quibus utitur, metaphoras. quod haeretici, qui dictis dei bellum comparant (III, 21 e), proferunt, pio nostro episcopo *inutilis pugna verborum* est (XII, 56 p). *deus infinitate sua regionem intelligentiae excedit* (II, 6 m). itaque quis miretur, quod *misericordiae munus* a deo orat, ut sibi *extensa fidei confessionisque vela flatu spiritus sui impleat* seque *in cursum praedicationis initae propellat* (I, 37 m). summa in pugna adiutrix est scriptura, in qua omnia sunt tam dilucide exposita, ne *inanium disputationum vento circumacti, vel fallacium quaestionum ineptis argutiis impediti infirmaremur, sed in hunc se semper religionis suae portum fides illaesa revocaret* (X, 67). haeretici autem verba non intellegunt ut sunt intellegenda, nominibus *suspicionem, malitiam, audaciam interserunt* (III, 22 m). Hilari contra sermo non *per deflexus et anfractus oberrans neque ex deviis et erraticis cuniculis emergens veritatem non potius quaerit quam ostendit* (VIII, 2 e). libenter pugnat scriptor noster, nam certissimum militiae suae stipendium est *incorrupta aeternitas* (XI, 43 m). utraque porro factio translationibus significatur: Abraham et scilicet cum eo omnes homines veram doctrinam consequentes vident *fidei oculis* et *visu mentis* (IV, 25 p); ipse tenet *evangelicae doctrinae atque apostolicae iter* (VI, 22 p; cf. V, 11 p). quomodo vera doctrina quaerenda sit, ita exprimit: *ex propheticis dictis perfectae huius unitatis fides est exstruenda et hinc evangelicae domus sunt ponenda fundamina* (V, 35 m), contra sunt destruenda *rationum fallacium munimenta* (XII, 20 e) et *omnes*, inquit, *obseratae intelligentiae aditus pulsabimus* (I, 37 e), nimirum haereti-

eorum, qui *statutis per se et oppositis obicibus libertatem intelligentiae voluntatisque concludunt* (XI, 1 p). eosdem innuit, cum exclamat: *quae perfidiae caecitas est, quae increduli cordis obtusio est* (IV, 26 p). omnibus igitur viribus nitendum erat Hilario, ut homines a *cibo mortis* (scl. doctrina haereticorum), *quo aves solent illici, in volatum se liberae securitatis erigerent* (VI, 2 m). in adversariis refutandis ordinem quendam tenet, ut *vestigia impiae institutionis gressus hic piae praedicationis inculcans deleat* (V, 6; cf. IX, 28 sq). *demonstrandum est*, ait scriptor, *omne huius argutae malitiae velamen* (VI, 8 e). paratus est Hilarius in pugna adeo, ut dicat: *excutiat ingenii sui aculeos omnis haereticorum schola* (VIII, 19 m; cf. VIII, 55 e) et *exserat se . . . haereticae impietatis furor et haec . . . rapido vesaniae suae ore concerpat* (V, 38 m). haereticorum qui exstitit error morbus ei videtur, cum legamus: *multis iam . . . ecclesiis morbo pestiferae huius praedicationis infectis* (VI, 1 p). non minus audacter de eis dicit: *sed irreligiosos aestus suos calor haereticus non continet* (VI, 15 p). nihil ne exsilium quidem episcopum prohibet, quominus fidem suam defendat: *sermo dei, qui vinciri non potest, libere excurret* (X, 4 p) et: *fides ista non moritur* (VI, 47 e).

Etiamsi in ceteris scriptoris operibus non tam saepe occurrunt translationes, non desunt etiam pulcherrimae, ut *veritatis virginitatem corrumpere* (ad Const. I, 2 m), *causas blasphemiarum pullulare* (ib. II, 4 e), *in imum blasphemiae barathrum descendere* (contra Const. 23 p).

Audacia quoque et crebra sunt Hilari exempla allegoriae, cuius et metaphorae fines saepe non facile separantur. mira quadam facilitate imaginibus utitur. in libro quem scripsit de synodis legimus: *videamus igitur, quid Nicaena synodus studuerit, homousion id est unius substantiae confitendo: non utique haeresim parturire, quae de homousii vitiosa opinione concipitur* (cap. 84). sermo prioris ad Constantium epistulae, quo colloquium petit, designatur et verbis, quibus imperatorem alloquitur: *de fonte paternae pietatis tuae misericordia largiter profluit* (I, 1 p) et verbis,

quae de haereticis dicit: *non cessant adulterinae doctrinae corrupta semina adspergere* (I, 2 p). quae ingenii altitudo elucet ex hoc loco: *orbem aeternum erroris et redeuntis in se semper certaminis circumtulerunt* (II, 4 p)! cum in haereticos semper idem sit, alias animi iudicium — aut fortasse sola verba? — mutat ut de imperatore, quem in libro illo contra Constantium post eius mortem edito, hoc pacto increpat: *o fallax blandimentum tuum! paleis enim aquas tegis et foveas caespitibus occultas et escis laqueos supponis* (20 p).

Maxime autem nostra interest, quae praebeat exempla scriptoris de fide opus. exordio facto in res ipsas explicandas ingressus de se dicit Hilarius II, 8 p: *evecti de importuosis locis in altum turbato mari sumus et nec regredi nec progredi sine periculo licet; plus tamen difficultatis in emetiendis est quam in emensis.* alio loco (VII, 1 p) comparat explicationem suam cum itinere: *in quo non ignoramus, quam difficile atque arduum iter doctrinae evangelicae scandamus.* opus perdifficile est, quod *sub specula omnium haereticorum* loquitur. pericula novit: *non ego,* inquit, *nunc navem e portu solvo, naufragii ignarus neque iter ineo, infestos nescius latronibus saltus, nec Libyae arenas incertus scorpiones ubique et aspides et basiliscos adesse transcurro: nihil solitudini meae, nihil conscientiae vacat* (VII, 3 p). in docenda divina doctrina impeditur, quod *festinationem devii itineris error moratur* (XI, 24 m). adversariorum doctrinam hac inversione adumbrat: *emersit pestifera et letalis populis proxime lues, quae ingenti grassata contagio ruinam miserandae mortis invehit* (VI, 3 p; cf. VIII, 1 m).

Quam difficilis ergo pugna contra tantum periculum! quam difficile ergo haereses recta docendo refutare! Hilarius igitur sensim sensimque ad difficiliora sese esse accessurum pollicetur. ad id lectoribus clare explicandum ornamento oratorio utitur, quod cum sit scriptor non impolitus, parce ideoque efficaciter adhibet, similitudinem dico. *quod autem*, ait, *in omni genere doctrinarum observari semper meminimus, ut si qui diu tenui primum exercitatione longoque*

*usu humilioris studii fuerunt eruditi, tum iam ad rerum ipsarum, quibus imbuti sunt, experimenta mittantur, ut cum iam bene luserint bella militaturi, in militiam protrahantur* . . . . (oratoribus et nautis ad comparationem allatis) *id ipsum nos in hac maxima et gravissima totius fidei intelligentia facere curavimus* (I, 34 p). si episcopum secuti sumus, ad quem finem pervenimus? scriptor respondet de se ipso narrans: *vitam huius corporis sui non modo non molestam sibi aut aegram arbitrabatur, ut eam, quae pueritiae litteras, quod aegris medicinam, quod naufragis natatum, quod adulescentibus disciplinam, quod militiam esse crederet imperaturis; rerum scilicet praesentium tolerantiam ad praemium beatae immortalitatis proficientem* (I, 14). — ad intellegentiam autem impetrandam fide, dono spiritus, opus est: *ut enim natura humani corporis cessantibus officii sui causis erit otiosa; nam oculis, nisi lumen aut dies sit, nullus ministerii erit usus; ut aures, nisi vox sonusve reddatur, munus suum non recognoscent; ut nares, nisi odor fragraverit, in quo officio erunt, nescient, non quod his deficiet natura per causam, sed usus habetur ex causa, ita et animus humanus nisi per fidem donum spiritus hauserit, habebit quidem naturam deum intelligendi, sed lumen scientiae non habebit* (II, 35). fides catholica in omnes morbos remedium: *ut quaedam medicamentorum genera sunt ita comparata, ut non singulis tantum aegritudinibus utilia sint, sed omnibus in commune medeantur, habeantque in se virtutem generalis auxilii, ita et fides catholica non adversum singulas pestes, sed contra omnes morbos opem medelae communis impertit* (II, 22). in rebus divinis nimium quaerere vetitum est: *quodsi contuentibus solis claritatem virtus intenti luminis obstupescit, ut si quando causam radiantis lucis solertius acies curiosae contemplationis inquirat, usque ad emortuum videndi sensum oculorum natura revocetur, accidatque nitendo magis videre, ne videas; quid nobis in dei rebus et in sole iustitiae exspectandum est?* (X, 53) ipse in dei bonitate *tamquam tutissimo sibi portu familiarique* satis habet requiescere (I, 3 e).

Liceat denique, ut alia[1] praetereamus, imagini illius contra Constantium libri hic quoque lineam adicere: haud levia sunt, quae imperatori opprobrantur: *accidit tibi*, scribit in cap. 23 p, *quod imperitis aedificatoribus, quibus sua semper displicent, accidere solet: ut semper destruas, quod semper aedifices.* etiam gravius, quod ei in cap. 25 m obicit: *o tu sceleste, qui ludibrium de ecclesia facis! soli canes ad vomitum suum redeunt. tu sacerdotes Christi resorbere ea, quae exspuerant, coegisti.*

Ne illud quidem longe speciosissimum genus orationis, in quo trium permixta est gratia, similidinis, allegoriae, translationis (Quint. VIII, 6, 49), Hilario ignotum esse ex ineunte libro operis de trinitate XII praecipue (cf. VI, 51) cognoscimus: *tendimus tandem . . . . ad tutum securae fidei tranquillumque portum. atque ita ut multo mari ventoque iactatis accidere saepissime solet, ut cum eos circa oras portuum impediti et graves fluctus nonnumquam morentur, ad ultimum in notam sibi fidamque stationem ipse ille ingentis terribilisque undae aestus impellat. quod nobis, ut spero, duodecimo hoc adversum haereticam tempestatem nitentibus libro continget: ut cum in eo gravissimae impietatis fluctui communitam puppim damus, ipse ille nos fluctus ad optatum quietis sinum devehat. omnibus enim incerto doctrinae vento circumactis, hinc metus, hinc periculum, hinc etiam saepe naufragium est . . . . . . hic hiemis eorum maximus fluctus est, haec tortuosi turbinis gravis unda est; quae excepta a nobis et securo navigio infracta, usque ad ipsum nos tutissimum portum optati litoris prosequitur.*

Hilarius, cum quoquo modo persuadere conetur, diversissima adhibet auxilia, modo gravitate quadam aufert et concutit, modo orationis quoque variandae causa agili cavillatione — i r o n i a m vocant — idem assequi studet. ut haereticos, qui Christum metuisse mortem contendebant, refellat, latronum illorum alterum dignationem reminiscentis in regno postulasse memorat. qua re homo sceleratus com-

[1] cf. ad Const. II, 7 p; 2, 8 m; de syn. 68 m et 89.

motus est? Hilarius respondet: *et credo, eum ad hanc beatae confessionis fidem, auditus transeunte palmas clavo gemitus accendit, et regnum Christi per dolorem infirmati in Christo corporis didicit.* de Socratica illa ratione interrogandi monemur, cum legimus III, 20 p: *sed te, quisquis es, investigabilia sectantem et divinorum secretorum atque virtutum gravem arbitrum consulo, ut mihi imperito et tantum de omnibus deo ut sunt ab eo dicta credenti, rationem saltem facti istius afferas.* simillimum est, quod patriarcham Iacob, qui luctando deum vicerit, interrogat V, 19 p: *quid istud est, quod imbecillum oras, quod ab infirmo exspectas?* haereses, quae sunt exortae, episcopo, postquam, quid scripturis de deo edoctus sit, exseruit, hanc declamationem non infacetam eliciunt: *in quod me, oro, profundum desperati reditus mersisti? . . . quid me miserum de te fefellisti et infelicem carnem atque animam alienae a te cognitionis doctrina perdidisti? decepit me post rubri maris divisionem gloria descendentis de monte Moysi et omnia tecum arcanorum coelestium secreta cernentis. perdidit me repertus secundum cor tuum David et dignus Salomon divinae sapientiae munere* . . . (VI, 20 p). facetissime illudit et irridet haereticos VI, 38 m: *cur . . . non hanc confessionis fidem pater Petro revelavit, creaturam scilicet et adoptionem? invidit, credo, hic Petro deus, ut in tempora posteriora dissimulans, haec nunc vobis novis praedicatoribus reservaret.*

3.

Ad Hilari **figuras** iam nos convertentes primum eas consideremus, quae adiectione fiunt, ut iteratio et anaphora eiusque similia. affirmationem semel dicti efficit reduplicatione Hilarius VI, 4 p: *negat enim, negat furens haeresis sacramentum verae fidei* et VI, 30 p: *nesciunt, plane nesciunt.* vehementiam admonitionis, quis non sentit verbis expressam: *absiste, absiste inanissime timor haereticorum,* aut: *vobis enim, fratres, vobis dico* (VI, 12 e; de syn. 85 e)? summo ardore implorat Iacob V, 19 p: *adesto, adesto.*

Permultis locis et magna cum varietate usurpat auctor anaphoram[1]. pauca autem sufficiunt exempla ad Hilari usum adumbrandum. faceta duo simplicis repetitionis: *hoc ecclesia intelligit, hoc synagoga non credit, hoc philosophia non sapit* (VIII, 52 e) et: *nobis pater rogatur, nobis pater loquitur* (X, 71 m)[2]. duas repetitiones habemus conexas III, 16 e: *haec itaque oratio ad deum est, ad patrem haec confessio filii est, haec carnis deprecatio est, in qua eum . . . . . universi videbunt, in qua praefiguratus in monte est, in qua elevatus ad coelos est, in qua deo assedit a dextris, in qua visus a Paulo est, in qua honorificatus ab Stephano est*[3]. subtilissime autem constructae sunt eae, in quibus verba ineuntia duarum sententiarum partium, quae inter se coniunctae sunt, repetuntur; duae ex pluribus hic ponantur: *dei filius homo nascitur, sed dei in partu virginis virtus est. dei filius homo cernitur; sed deus in operibus hominis exsistit. dei filius crucifigitur, sed in cruce hominis mortem deus vincit. Christus dei filius moritur, sed omnis caro vivificatur in Christo. dei filius in inferis est, sed homo refertur ad coelum* (III, 15); et: *audiunt deum Christum, putant esse quod dicitur. audiunt filium dei, putant in dei*

[1] antistrophe apud Hilarium perrara est eiusque exempla gravitate carent; cf. I, 6 e; III, 6; VI, 27 e; VI, 40 e; X, 17 e; X, 69 e; X, 70 e; haud scio an dignum sit, quod memoretur: *quia quidquid Christus gerit, virtus dei et sapientia gerit, et quidquid virtus dei et sapientia gerit, sine dubio deus gerit* (IX, 12 e). idem dicendum est de symploce; cf. II, 5 m; VI, 37 e; VII, 38 m; ad Const. II, 5 p; de syn. 76 e.

[2] cf. (verba uncinis inclusa repetuntur) II, 10 p *(audi)*; IV, 12 p *(sicut)*; V, 18 e et contra Const. 1 p (*quia*); VI, 12 e et ad Const. I, 6 m *(nisi)*; VI, 19 m *(cognovi)*; VI, 35 m *(non est)*; VI, 37 p *(haec fides)*; VI, 43 e *(tu)*; VII, 10 p *(cum)*; VII, 10 m et c. C. 8 p *(dum)*; VII, 14 e (*ut*); VII, 23 e et c. C. 22 e (*negas*); VIII, 53 (*elementa mundi*); X, 32 p et de syn. 68 e *(ubi)*; X, 40 e *(post)*; X, 67 e *(sed secundum scripturas)*; a. C. I, 5 p *(quis)*; I, 7 e *(quae)*; II, 9 m et contra Aux. 5 m *(hinc)*; c. C. 4 e sq *(contra)*; 12 p *(si)*; 22 m *(similem)*; de syn. 4 p *(nihil)*; 25 p *(qui)*; 63 m *(ubique)*; 35 e et 91 e *(ne)*; contra Aux. 11 m *(quid)*.

[3] cf. II, 5 e *(extra, non)*; VIII, 1 e (*contradicendum, per*); III, 4 m. ubi uno quasi fluvio verborum tres anaphorae alia post aliam iaciuntur *(quod, quia, haec)*.

*nativitate inesse dei veritatem; audiunt ante tempora, putant id ipsum ante tempora esse quod semper est* (c. Aux. 6 e)[1].

Certe hic et illic legentes sensisse suspicatus sim magnas similitudines Hilarianae rationis dicendi cum Francogallorum, optime autem unusquisque id intelleget in considerandis figuris adnominationis[2] et quam Graeci homoioteleuton vocant, et allitterationis, quoniam Hilarium tinnitum verborum haud spernere nemo negabit. lector legat suoque iudicio utatur: *impassibilis est ille qui genuit et imago invisibilis est dei ille qui natus est* (II, 8 m); *dignationem dignitas* (II, 26 p); *cum aeternitatis gloriam non iam molitio nova, sed sola dei esset cognitio sumptura* (III, 13 m); *facti effectus* (III, 20 e); *dilata a nobis potius quam dissimulata habentur* (IV, 22 p); *quia et unitas alium nesciret, et alius non permitteret unionem* (V, 1 e); *naturae veritas denegatur, quam et virtus nominis et nomen virtutis implevit* (V, 5 e); *ex numero habens hoc imprudentiae*[3]*, ut, quod errat, prudentiam velit existimari* (VI, 1 e); *deo . . . . hoc solum perit, quod sibi deperit* (VI, 3 m); *ultimi furoris vesani iudicaretur, adimere auctoritatem ad fidem, cui venerationem profitearis ad vitam* (VI, 17 e); *quid sibi vult non cognominum, sed pronominum fides* (VI, 23 p); *cum creatorem et creaturam patrem et filium praedicabis* (VI, 42 m); *vincant, ut volunt, quia se invicem vincendo vincuntur* (VII, 7 m); *ultimae impietatis furor est, aut intellecta non credere aut intelligentiam corrupisse credendi* (VIII, 10 e); *neque assumptio nostra deo provectio est* (IX, 4 e); *vulnera non permittentem dolori, vulnera tum dolere* (X, 33 e); *in damnatorum favorem dei amorem transducunt* (ad Const. I, 7 e); *scripturae non in legendo sunt, sed in intelligendo* (ib. II, 9 e); *neque inconsideratio sed ratio* (contra Const. 6 e).

---

[1] cf. III, 4 m (*non—quia*); VI, 38 m; (*sit—si*); VII, 4 p (*tunc—cum*); X, 48 m (*si—et non*); c. C. 5 p et de syn. 64 m, 69 m (*non—sed*); de syn. 70 p (*non—nisi*); 86 p (*male—quid*).

[2] definitionem sequor Woelfflini (Sitzgsber. d. bayr. Ak. 1887 tom. 2. fasc. 2. p. 187sqq).

[3] cf. p. 53 adn. 2.

Huius figurae et homoioteleuti fines non semper sunt conspicui, itaque cum plura iam sint allata, quibus non minus hic locus esset, restat tantum, ut pauca addam: *hic proprietas est, nativitas est, veritas est; non creatio est, non adoptio est, non falsitas est* (VI, 40 e); *sin vero dei potestas est, quid naturae aufers veritatem, cui veritatis non adimis potestatem* (V, 13); *haec igitur natura non eguit vel demutatione, vel interrogatione, vel allocutione* (IX, 74 p); *et laudant, quia ipse invisibilis dei imago omnes in se creaverit, saecula fecerit, coelum firmaverit, astra distinxerit, terram fundaverit, abyssos demerserit, ipse deinceps homo natus sit, mortem vicerit, portas inferi fregerit, cohaeredem sibi plebem acquisiverit, carnem in aeternitatis gloriam ex corruptione transtulerit* (III, 7 m); *ut nec ea, quae bene sunt constituta vexentur, et quae male sunt intellecta, resecentur* (de syn. 91 e); *sed haec omnia nec ratione intelligentes, nec temporibus discernentes, nec sacramentis evangelicis apprehendentes . . . . adversus divinitatis naturam loquuntur* (IX, 2 e); *simplicitate quaerendus est, confessione discendus est, charitate amandus est, timore venerandus est, voluntatis probitate retinendus est* (ad Const. I, 6 m); *ut neque intra sententiam sit intelligendi, neque extra intelligentiam sentiendi* (I, 7); *tempus est loquendi, qui iam praeteriit tempus tacendi* (contra Const. 1 p); *ut et vita eius* (scl. episcopi) *ornetur docendo, et doctrina vivendo* (VIII, 1 m).

Maxime autem sentimus, quantopere Hilarius verbis ludat, cum eius allitterationes[1] consideramus. optimae

[1] utor hoc nomine nobis usitato, quia veteres in hac figura significanda prorsus non consentiunt. de allitterationis nomine cf. Woelfflin, Sitzgsber. d. bayr. Ak. 1881 tom. 2. p. 25 sq; Buchhold, de paromoeoseos apud veteres Rom. poet. usu diss. Lips. 1883, p. 15 adn. 3; Norden, Antike Kunstprosa 1898, p. 59. quamquam a rhetoribus inter figuras non habetur, tamen merito ut videbimus hoc loco ponitur. id ut intellegamus, paullo altius repetere opus est. cum in antiquissimis litterarum Romanarum, quae exstant, monumentis persaepe inveniamus adhibitam, optimae latinitatis scriptores non tantopere exuberant hac figura. sed iam Cornelius Nepos hoc sermonis ornatu nimis frequenter ideoque inepte usus est (cf. Norden l. c. p 207 sq), posteris temporibus

sunt, quae fiunt inter verba ut dicimus coordinata: *caput et principium* (IX, 8 m); *caro et corpus* (VII, 41 m); *neque furor sed fiducia* (c. C. 6 e); *ligna et lapides* (III, 20 cf. tract. in psalm. 61, 166); *mori et manere* (IV, 39 m); *aut in natura aut in necessitate* (XII, 19 e); *in oculis omnium est atque ore* (c. Aux. 4 e); *et officium et ordinem* (de syn. 55 p); *origine non adoptione* (III, 11 e); *otium simul atque opulentia* (I, 1 p); *et securitas et satietas* (I, 1 e); *sensus, non sermo* (II, 3 p; cf. XII, 24 m); *sophistae mundi et sapientes saeculi* (II, 12 m); *per virtutem et venerationem* (XII, 24 p); *neque solum voluntati tuae, sed et violentiae* (c. C. 26 p).

Sed allitterationes quoque sunt, cum quaelibet verba eadem littera ineuntia sese excipiunt, seu substantivum et genetivus alterius, ut: *corporis caro* (I, 11 e); *cordium cogitationes* (IX, 29 m); *facti fides* (3, 20 e); *mali materies* (I, 1 m); *magnificentia mundi* (III, 25 e); *saeculi sensu* (X, 33 p); *salutis suae sacramenta* (III, 25 m); *sermo sapientiae-sermo scientiae* (VIII, 34 m); *veritatis virtute* (II, 1 p); *voluntas virtutis* (V, 5 m); — seu subiectum et obiectum, ut *fidem furor* (VII, 30 m); *quia infinitae aeternitatis operatio infinitam metiendi exigat opinionem* (I, 13 e); *visus virtutem* (IX, 45 m); — seu substantivum et adiectivum, ut *per profanam fraudem* (de syn. 27 m); *furtivae fraudulentiae* (ib. 39 m); *hebetudine haeretica* (X, 33 p); *sani sermonis* (VIII, 1 m); *violenta vincula* (X, 13); — seu substantivum et verbum, ut *delicta donare* (I, 13 m); *proferamus professiones* (VI, 39 p); *ferret infirmitas* (IX, 40 m); *ne deficiat fides*

---

eum apud Frontonem, Apuleium, Tertullianum (Woelfflin l. c. p. 33 sq) Cyprianum (cf. Watson in studiis bibl. et eccl. 4 p. 225 sq., Oxford 1896) invenimus. Galliae saeculorum IV. V. VI. p. Chr. n. scriptorum allitterationes Ranninger (Ü. d. A. bei d. Gallolateinern; Landau 1895) colligere sibi proposuit. sed cum ei neque omnia, quae de hac figura erant scripta, inspicere (cf. Arch. f. lat. Lex. u. Gramm. 9. p. 608) neque rem absolvere contigerit, iterum in hanc quaestionem inquirere opus est. nam intra fines artos, quos Woelfflinus 1881 constituerat, se continuit, postquam ille ipse iamdudum (cf. l. c. 3. p. 443 et adde O. Keller, gramm. Aufsätze, Lips. 1895 p. 1—72) regiones huius figurae dilatavit.

(IX, 38 e); *rivum fons effundat* (IX, 37 p); *virtutes dei ventilare* (X, 70 m); — seu alia verba eadem littera ineuntia et quae sensu cohaerent, ut *non conceptu et partu corporali corporaliter incohata* (de syn. 22 e); *cum in damnatione sit, patrem et filium duos deos dicere* (de syn. 41 p); *non famae fabulam loquor, literarum fidem teneo* (de syn. 90 e); *non innovata est natura nascendo* (VIII, 41 m); *religionis opus oboedientiae esset officium* (I, 15 e); *sequitur . . . . sapientiam sermo stultitiae* (VIII, 1, e); *assumenda est stultitia, ut sapientiam sumamus* (III, 26 p); *tanta vis fidei est, ut vincat voluntatem veri necessitas* (IV, 52 e); *ex vivente deo viventis dei veritatem confiteri* (VII, 27 p)[1].

Adnominatio, homoioteleuton, plerumque etiam allitteratio quid aliud sunt, quam formae subtiliores a n t i t h e s e o s? cuius figurae exemplis scatet sermo Hilarianus; modo oppositionem ad breve quod dicitur oxymoron contractam videmus ut *religiose impii* (I, 31 p), *stulta sapientia* (V, 1 m), *stulte sapitur* (VIII, 1 p), modo et multo saepius ipsas contentiones breviores et longiores invenimus. primum pauca[2], ubi in eadem sententia verba verbis opponuntur: *ut cum deus homo, cum immortalis mortuus, cum aeternus sepultus est, non sit intelligentiae ratio, sed potestatis exceptio* (I, 13 e); *humilitas eius nostra nobilitas est, contumelia eius honor noster est* (II, 25 e); *tempus visionis separavit a tempore cognitionis* (VII, 34 e); *hoc non praestat creatura, sed nativitas; non efficit voluntas, sed potestas; non loquitur*

[1] Ranninger (l. c. p. 8) suspicatur etiam verbis litteris *v* et *f* neuntibus a. effici et recte suspicari videtur, cum legamus: *inviolabilem fidem* (I, 16 m); *verum ac falsum aliud confitentes* (I, 17 e); *firmitatem et virtutem* (III, 11 p); *affers vim verborum veritati* (III, 22 m); *tenet naturae virtus veritatis fidem* (V, 13 e); *fidem nostram dum tibi adversantur, affirmant* (VIII, 4 e); *diversum et differens* (VIII, 54 e); *o infelix voluntas et veritati obnitens falsitas* (IX, 35 m); *non tam evitanda sunt studia quam refutanda* (XII, 20 p); *frangere et vexare* (ad C. I, 1 e); *quaeretur in fidem* (ib. I, 7 p); *tot nunc fides exsistere, quot voluntates* (ib. II, 4 e); *invicta fides vestra* (de syn. 4 p).

[2] cf. I, 2 e; II, 8 e; III, 18 p; V, 1 m; VII, 1 e; VII, 26 e; VII, 27 p; IX, 61 m.

*unanimitas, sed natura* (VIII, 18 e); *dispensatio itaque tantum est, non demutatio* (IX, 49 p).

Efficaciorum deinde, ubi verba alterius sententiae verbis opponuntur, ex multis nonnulla[1] quoque deligamus: *quia et quies inops prope quoddam vitae ipsius intelligatur esse exsilium, et opulens inquietudo tanto plus calamitatis afferat* . . . (I, 1 m); *et cum sensum ipsum egrediatur operatio, omnem tamen sensum longe necesse est excedat operator* (I, 7 m); *professio tua sic putatur pia, quod magis impia est, sic vera quod falsa est* (V, 25 m); *ille dei confitendo se filium, reus mortis ab his iudicatur, tu eum dei filium negando, quaero quid iudices?* (VI, 50 m); *timere ab impiis dicitur? sed ipse pati velle se praedicat. infirmus esse contenditur? sed se potentem . . . ostendit. dolere vulnera carnis arguitur? sed in eo, quod carnem auris reddit ex vulnere, caro ipse cum sit, extra carnalem tamen naturam dolendi vulneris reperitur* (X, 32); *numquid, quia ista sapientes mundi non intelligunt et his stulta sunt, nos cum mundo sapientes erimus, et haec stulta credamus? et quia haec impiis caeca sunt, nos non lucebimus intellecta veritate doctrinae?* (de syn. 85 e); *at nunc pugnamus contra persecutorem fallentem, contra hostem blandientem, contra Constantium antichristum, qui non dorsa caedit, sed ventrem palpat; non proscribit ad vitam, sed ditat in mortem; non trudit carcere ad libertatem, sed intra palatium honorat; ad servitutem non latera vexat, sed cor occupat; non caput gladio desecat, sed animam auro occidit; non ignes publice minatur, sed gehennam privatim accendit. non contendit, ne vincatur; sed adulatur, ut dominetur* . . . (c. C. 5).

Unam quoque antitheseos formam peculiarem, commutationem, necesse est illustrare paucis locis[2]: *agnituri . . . . . quod neque non ipsa veritas sit nominis neque*

[1] perlegas, quaeso, et haec exempla pulcherrima, quae longum est omnia exscribere: III, 5 e; VI, 7 m; VII, 8 e; IX, 59 e; X, 12 m; X, 27 p; X, 29 e; X, 48 e; de syn. 86; c. C. 27 p.

[2] cf. I, 6 m; I, 7 e; I, 11 e; IV, 14 e; VI, 7 m; IX, 62 m; IX, 63 e; X, 1 e.

*non nomen sit veritatis* (I, 21 e); *audientes fallunt, dum naturam nominibus adimunt, quia nomina non possunt auferre naturae* (II, 4 e); *nomen enim naturae, non nomini natura componitur* (IV, 26 m); *et regnans moritur et mortuus regnat; habemus . . . . et mori regnantem et regnare morientem* (X, 62 e).

Figura nunc mihi memoranda est, quae saepissime in verbis Hilari allatis lectoribus occurrit: interrogatio. scriptorem saepe e simplici explicatione egredientem aut alias personas loquentes inducere aut alloqui cum viderimus, minime est mirum, quod se ipse aut adversarios interrogat, omnino quod interrogatione, quae rhetorica appellari solet, utitur, ut legentes reddat attentos et in suam partem adducat. quid enim, ait Quintilianus (IX, 2, 6), tam commune quam interrogare? omnia quae Quintilianus interrogandi genera enumerat, Hilarius adhibet. primum ea, ubi interrogatur quod negari non possit, ut acrior ac vehementior fiat probatio: *in quo ergo tandem non erit verus ille qui efficit, cum verus sit ille, qui dicit quando quidem dicti veritatem facti veritas consequatur?* (V, 5 m); deinde, ubi respondendi difficilis est ratio: *illos nunc arcanorum coelestium scrutatores consulo, ut secundum naturam suam nati ex virgine Christi sacramentum loquantur. unde dicent virgini partum? . . .* (X, 54 p); tum invidiae causa: (verbis haereticorum alla is): *quis enim tam vesanus erit, ut a se defecisse patrem putet . . . . ? vel quis tam demens est, ut substisse filium nisi ex nativitate fateatur? quis porro tam vecors, qui non exstitisse deum ex eo, quod deus nascitur, audeat praedicare?* (VI, 13 m); tum instandi et auferendae dissimulationis causa: *quid est, rogo, ex eo nasci? numquid id ipsum est, quod per eum creari? aut cur evangelista mentitur, ut ex eo natum dicat, quem per eum creatum potius haereticus doceat?* (VI, 42 p); ceterum et interrogandi se ipsum, dicit Quintilianus IX, 2, 14, et respondendi sibi solent esse non ingratae vices: *dolet qui glorificandus est? flet qui vivificaturus est? non est vivificaturi flere, nec glorificandi dolere; et tamen vivificat, qui et flevit et doluit* (X, 56 e).

Interrogationi vicina est exclamatio, qua Hilarium natura acrem et vehementem non carere posse facile intellegitur. quanta gravitate homini de dei verbis iudicare non licere dicit: *quid limosi corporis graves animae et sordente peccatis conscientia foetidae coenosaeque mentes usque ad iudicium divinae de se professionis inflamur?* (IX, 40 m) — permagna igitur eius ira contra haereticos, qui ipsorum ingenio de rebus divinis iudicare vellent: qui fit, ut eos magna cum acerbitate persequatur, exempli gratia XII, 36 p: *o te miser, haeretice, qui indulta ecclesiae adversum synagogam arma, contra fidem ecclesiasticae praedicationis invadis* .... pluribus autem locis contra eorum doctrinam impetus facit exclamationibus hoc pacto: *o haeretica imprudentia et stulta mundi sapientia, opprobium Christi non intelligens dei esse virtutem et stultitiam fidei non sentiens dei esse sapientiam* (V, 18 m); contra quam sollerter occidentales episcopos ad suam causam perducit de syn. 2 e: *o gloriosae conscientiae vestrae inconcussam stabilitatem! o firmam fidelis petrae fundamine domum! o intemeratae voluntatis illaesam imperturbatamque constantiam!* et 63 e: *o beatos vos in domino et gloriosos, qui perfectam atque apostolicam fidem conscientiae professione retinentes conscriptas fides huc usque nescitis!* — alio loco (V, 12 p) de se ipse: *o impatiens fidei calor et desiderati sermonis incontinens silentium!* verba apostoli Pauli ei hanc eliciunt exclamationem: *o plane rara ac difficilia charismatum dona et vere in hac utilitatum datione manifestatio spiritus constituta* (VIII, 34 p)*!* ideoque praedicat Paulum charismate scientiae praeditum: *o dignus ille magnorum et coelestium arcanorum conscientia et assumptus secretorum divinorum electusque particeps* .... (VIII, 39 m)[1].

Est fortasse, cur mireris in tali opere scriptoris ecclesiastici me vestigium quoddam eius figurae invenire, quae a rhetoribus dubitatio appellari solet. consideremus II, 12 p: *superest de inenarribili generatione filii adhuc ali-*

[1] cf. VI, 6 p; V, 10 p; VI, 14 m; XII, 5 e; c. C. 4 p; ib. 2 e; ib. 13 e; ib. 27 p; c. Aux. 4 p.

*quid .... aestuo, differor, hebesco et unde incipiam, nescio. nescio enim, quando natus sit filius et nefas est mihi nescire, quod natus est. quem imprecer? quem implorem? . . .* si cum his verbis praecepta veterum conferimus, ut Quintil. IX, 2, 19: adfert aliquam fidem et dubitatio, cum simulamus quaerere nos, unde incipiendum . . . et Aqu. Rom. 10 (p. 25, 11 Halm cf. schem. dian. 32 p. 75, 3): hac utimur, cum propter aliqua volumus videri addubitare et quasi ab ipsis iudicibus consilium capere: cui non verisimile fit Hilarium talibus praeceptis institutum consilio hic id auxilium artis rhetoricae adhibuisse? in hanc opinionem eo magis adducimur, cum eum in capite sequenti egentem piscatorem Ioannem auxilio arcessere videamus, ut vanitate scientiae hominum patefacta rectam doctrinam divinam dilucidissime demonstret.

4.

Hilarianae artis rhetoricae adumbratio non plene esset perfecta, si praeterirem, quomodo scriptor ad numeros orationem alliget. loci adhuc allati sufficiunt ad speciem Hilari rationis **clausulas** instituendi capiendam satis veram[1]. in paucis, quae excitanda erant, verbis non minus quam CCCXXXIII inveniuntur clausulae, quas dicimus.

Dimidia fere pars omnium clausularum habenda est in numero formarum trium frequentissimarum cretico pede ineuntium

I: — ◡ — | — ◡ LXXXI.
II: — ◡ — | — ◡ — LIX.[2]

[1] Zielinskium (*Das Clauselgesetz in Ciceros Reden*, Phil. Suppl. IX, 1904) in universum secutus me non continui in clausulis periodorum, id quod leges Ciceroniani numeri eruenti fuit primarium, nefas videtur Hilari tinnitum describenti. ut autem propter locorum paucitatem adhibitorum certum quid colligere non audeo, ita omnibus Hilari operibus excussis multos fructus percipi persuasum habeo. qui scriptoris novam editionem perficiet, facere non poterit, quin in hanc rem diligenter inquirat: nos pauca praelibemus.

[2] in hoc numero quoque est III, 7 m *saecula // fecerit* (cf. easdem clausulas, quae sequuntur: *coelum firmaverit*; *astra distinxerit*; *terram*

III: — ◡ — | — ◡ — ◡ XXIV.[1]

Multo minor autem est numerus secundae formae et tertiae incohantium molosso pede

II: — — — | — ◡ — XXV.[2]

III: — — — | — ◡ — ◡ XV.

Perpauca sunt exempla IV, V, VI formarum

IV: — ◡ — | — ◡ — ◡ — I.[3]

— — — | — ◡ — ◡ — VI.[4]

V: — ◡ — | — ◡ — ◡ — ◡ I.[5]

VI: — ◡ — | — ◡ — ◡ — ◡ — I.[6]

Haud rarae sunt solutiones in formis prima et secunda

I: 1) ◡◡ ◡ — | — ◡ VII.[7]

2) — ◡ ◡◡ — ◡ IX.[8]

---

*fundaverit)*; III, 16 e *oratio // ad deum est*; V, 25 m *quod magis // impia est*; hiatum, quem Cicero in hac forma nusquam praebet, Hilarium admisisse apparet; cf. quoque Zielinski, *Das Ausleben des Clauselgesetzes*, Phil. Suppl. X, 1907, p. 446.

[1] duo exempla cum syllaba ancipiti: X, 53 *luminis // obstupescit*, de syn. 22 e *corporaliter // incohata*.

[2] huc pertinet VI, 1 e *hoc imprudentiae* ubi sequor cod. Vat; ceteri codices, quos sequitur Migne, exhibent *impudentiae*, quod repudiandum est non magis propter oppositum *prudentiae*, quam quod clausula multo est peior: *ex nu]mero habens hoc impudentiae* (◡◡ ◡ — — | — ◡ — ◡ —).

[3] c. Aux. 6 e *audiunt ante tempora*.

[4] III, 7 m *omnes in se creaverit*; III, 13 m *non iam molitionova*; VI, 23 p *cognomi]num, sed pronominum fides*; VI, 52 e *volun]tatem veri necessitas*; III, 39 m *ar]canorum conscientia*; ib. *divi]norum electusque particeps*.

[5] IX, 74 p *interrogati]one vel // allocutione*.

[6] V, 12 p *ser]monis incontinens silentium*.

[7] II, 22 *gemitus accendit*; III, 9 m *revoco in excelsum*; III, 13 m *co]gnitio sumptura*; III, 15 *hominis exsistit*; III, 20 p. *investiga]bilia sectantem*; III, 21 *O]ceani et accessus*; c. C. 20 p *cae]spitibus occultas*.

[8] I, 7 m *ex]cedat operator*; II, 22 *com]mune medeantur*; VI, 13 m *nativi]tate fateatur*; VI, 38 *adopti]one meruisti*; X, 53 *na]tura revocetur*; X, 62 e *re]gnare morientem*; X, 67 *il]laesa revocaret*; de syn. 63 e *professi]one retinentes*; ib. 91 e *intel]lecta resecentur*.

3) — ⏑ — | ⏑͡⏑ ⏑ XVII.[1]
II: 1) ⏑͡⏑ ⏑ — | — ⏑ — IV.[2]
⏑͡⏑ — — | — ⏑ — II.[3]
2) — ⏑ ⏑͡⏑ | — ⏑ — VI.[4]
— — ⏑͡⏑ | — ⏑ — V.[5]
3) — ⏑ — | ⏑͡⏑ ⏑ — I.[6]
— — — | ⏑͡⏑ ⏑ — I.[7]
1, 2) ⏑͡⏑ ⏑ ⏑͡⏑ | — ⏑ — I.[8]
1, 3) ⏑͡⏑ ⏑ — | ⏑͡⏑ ⏑ — I.[9]

Rariores III et IV formarum solutiones

III: 1) ⏑͡⏑ ⏑ — | — ⏑ — ⏑ I.[10]
⏑͡⏑ — — | — ⏑ — ⏑ II.[11]
2) — ⏑ ⏑͡⏑ | — ⏑ — ⏑ I.[12]
— — ⏑͡⏑ | — ⏑ — ⏑ II.[13]
3) — — — | ⏑͡⏑ ⏑ — ⏑ I.[14]
IV: 1) ⏑͡⏑ ⏑ — | — ⏑ — ⏑ — I.[15]
2) — ⏑ ⏑͡⏑ | — ⏑ — ⏑ — I.[16]

[1] haec, forma cuius numerus apud Ciceronem paullatim deminuitur, apud Phinium in tribus frequentissimis est (Zielinski, Phil. Suppl. IX, p 811); apud Hilarium ex eis quas respeximus locum obtinet quintum

[2] I, 34 p *facere curavimus*; II, 35 *of]ficio erunt nescient*; III, 15 *fi]lius homo nascitur*; ib. *fi]lius homo cernitur.*

[3] II, 13 p *pedibus limo oblitus*; II, 35 *nisi odor fragraverit.*

[4] I, 7 *egredi]atur operatio*; I, 13 e *aeterni]tatis operatio*; II, 16 m *aboliti]one sine tempore*; V, 18 m *esse sapientiam*; ad Const. I, 6 m *ti]more venerandus est*; ib. *probi]tate retinendus est.*

[5] III, 7 m *deinceps homo natus sit*: V, 18 m *mundi sapientia*; VII, 23 *dene]gando minus efficis*; ib. *coe]lestis thronus efficit*; X, 56 e *qui glorificandus est.*

[6] II, 18 p *dici]tur tibi // ab aliquo.*

[7] I, 34 p *observa]ri semper meminimus.*

[8] VIII, 52 *philosophia non sapit.*

[9] II, 22 *aegritu]dinibus utilia sint.*

[10] XI, 24 m *i]tineris error moratur.*

[11] IX, 2 e *ratione intelligentes*; c. C. 1 p *prae]teriit tempus tacendi.*

[12] I, 13 e *exigat opinionem.*

[13] II, 35 *causis erit otiosa*; IV, 22 p *quam dissimulata habentur.*

[14] de syn. 2 e *concussam stabilitatem.*

[15] XII, 1 *ac]cidere saepissime solet.*

[16] I, 1 m *plus calamitatis afferat.*

Pro cretico incohante interdum choriambus exstat et epitritus secundus:

II: — ◡ ◡ — | — ◡ — II.[1]
— ◡ — — | — ◡ — V.[2]
III: — ◡ ◡ — | — ◡ — ◡ IV.[3]
— ◡ — — | — ◡ — ◡ III.[4]

Pessimis attribendae sunt haec clausulae:

I: — ◡ ◡ — | — ◡ II.[5]
II: — ◡ — | — ◡ ◡ — I.[6]
— — — | — ◡ ◡ — II.[7]
III: — — — | — ◡ ◡ — ◡ I.[8]

Selectarum clausularum haud parvus est numerus:

I: — — — | — ◡ XII.[9]
II: — ◡ — | — — — VI.[10]

---

[1] II, 25 e *eius honor noster est*; X, 56 e *vivificaturus est.*

[2] I, 21 e *veritas sit nominis*; II, 9 m *qualiter sensum inseras*; V, 19 p *Abrahae successio*; V, 19 p *infi*]*delitatis sibila*; ad Const. II, 4 e *nunc fides exsistere.*

[3] VI, 50 m *mortis ab his indicatur*; X, 56 e *glorificandi dolere*; de syn. 63 e *in domino et gloriosos*; c. Aux. 6 e *in*]*esse dei veritatem.*

[4] I, 34 p *studi*]*i fuerunt eruditi*; VII, 27 p *veritatem confiteri*; VIII, 1 m *eius ornetur docendo.* memoranda quoque est haec clausula: VI, 38 m *scilicet et adoptione* (— ◡◡ ◡͡|◡ | — ◡ — ◡).

[5] II, 9 m *si potes enarra*; XII, 1 *navigio infracta.*

[6] XII, 1 *litoris prosequitur.*

[7] III. 26 p *as*]*sumenda est stultitia*; VIII, 1 e *sapienti*]*am sermo stultitiae.*

[8] c. C. 5 *a*]*dulatur // ut dominetur*; basin anomalon habet XII, 1 *turbinis gravis unda est.*

[9] III, 21 *proturbaremus*; ib. *desaeviremus*; V, 19 p *imbecillum oras*; ib. *infirmo exspectas*; IV, 13 m *porro tam vecors*; VI, 42 *ad libertatem*; VII, 33 m *coe*]*lorum sortiti*; VII, 7 m *vin*]*cendo vincuntur*; X, 67 *infirmaremur*; ad Const. I, 7 e *a*]*morem transducunt*; c. C. 5 *persecu*]*torem fallentem*; ib. *privatim accendit.*

[10] III, 16 e *ele*]*vatus ad coelos est*; III, 26 p *sapi*]*entiam sumamus*; IV, 38 *omnibus factura*; VII, 23 *irreligi*]*osior Judaeo*, X, 54 p *virgini conceptum*; XII, 1 *nitenti*]*bus libro contingent.*

— — — | — — — I.[1]

III: — ◡ — | — — — ◡ III.[2]

Quin primae formae solutiones praebet scriptor:

◡͡◡ — — | — ◡ VII.[3]

---

Quo modo arte rhetorica Hilari breviter adumbrata, cum hic et illic lucellum non defuerit, in universum probavimus tantum, quod a temporibus Hieronymi viri docti statuerunt: Pictaviensem esse sollertem rhetorem[4]. quod eloquentiae eius originem attinet, dubium non est, quin ut praecipue in operibus quae in exsilio aut postea scripsit, sermo eius saepe monuerit de Graecorum ratione dicendi[5], ita eius magniloquentia Gallorum propria sit[6].

---

[1] c. C. 5 *con]tendit ne vincatur.*

[2] II, 19 *tu]o statim respondendum est*; VI, 38 *ex]istimas si dixisset*; VI, 42 p *ex eo natum dicat*; *pessima haec clausula*: X, 56 e *vivificaturi flere* (— ◡ ◡ — | — — — ◡).

[3] II 9 *oculos accendas*; V, 1 *alium nesciret*; VI, 8 e *ma]litiae velamen*; VI, 20 p *reditus mersisti*; X, 53 *iu]stitiae expectandum est*; c. C. 5 *animam auro occidit*; c. C. 20 p *laqueos supponis.*

[4] cf. testimonia veterum (Migne IX, 203 sqq), a quibus eius *eloquentia insignis, fons et flumen eloquentiae,* etiam *pulchrum aureumque os* laudatur; Reinkens p. 149: *man erkennt in allen seinen Schriften den gewandten Rhetor*; Pichon l. c. p. 32: *saint Hilaire, saint Paulin, Sulpice Sévère ont commencé également par la rhétorique et ont gardé l'empreinte jusque dans leurs traités de théologie ou leurs vers dévots.*

[5] cf. Reinkens p. 128: *im Exil vertiefte sich Hilarius in die kirchliche Literatur der Griechen vor allem des Origines* (cf. Wagenmann, Gött. gel. Anzeigen 1865 p. 1651). *Von nun an zeigen seine Schriften die Farbe griechischer Bildung immer bestimmter bis zu ausdrücklichen Sprachvergleichungen.* recentiorum praecipue cf. Norden, Kultur der Gegenwart I, 8 ed. 2. 1907 p. 404.

[6] cf. Hieron. ep. 58, 10 (I, 324 Vall.): *Hilarius Gallicano cothurno attollitur*; et quae Reinkens p. 151 sq contulit ornamenta oratoria, quae Hilarius adhibet, inveninutur simillima apud Panegyricos; cf. Pichon, qui l. c. 44 sqq eorum apparatum rhetoricum adumbrat.

## Vita.

Die IX m. Sept. anni s. praeterlapsi LXXXIV natus sum, Hermannus Kling, Doerlinbaci, in vico Badensi, parentibus Guilelmo eiusque uxore Marianna e gente Kopf. puerili doctrina institutus postquam per octo annos gymnasium Friburgense frequentavi, adeptus sum maturitatis testimonium a. huius s. IV. cum per annum militassem, studiis philologicis Friburgi bis sex menses dedi operam scholis usus Fabrici, Hense, Reckendorf, Schmalz, B. Schmidt, Thurneysen, Uebinger, Wahl, Woerner. Heidelbergae deinde me docuerunt Boll, A. Dieterich, de Domaszewski, de Duhn, Hampe, E. Marcks, F. Schoell, Thode, Windelband. exercitationibus benigne me admiserunt de Domaszewski, de Duhn, Hampe, Marcks. Tirociniis meis philologicis moderati sunt Friburgi E. Diehl, Heidelbergae S. Brandt. per sex menses officia praestiti sodalis, per annum senioris seminarii Heidelbergensis philologici; cuius rectoribus, Albrechto Dieterich et Friderico Schoell, debeo summum: illius qui quasi pater mihi fuerit, vere anni praeterlapsi subita morte discipulis nobis lugere nunquam desinentibus erepti ut memoriam pio gratoque animo servo semperque servabo, ita huic qui et laudibus et vituperationibus eximia quadam benevolentia reddere me philologum studuerit, gratias hoc loco ago, quantum nunc possum, maximas dedicans has, quantulaecunque sint, primitias.

